349.387
Sild

DE

MULTA QUAE ΕΠΙΒΟΛΗ DICITUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

NON. SEXT. A. MDCCCLXXVI HORA I

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

ERNESTUS SIEGFRIED

BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

S. BLASCHKE DR. PHIL.

C. HOFFER SEM. REG. PHIL. SOD. ORD.

E. NAUMANN DR. PHIL.

BEROLINI

APUD MAYERUM ET MUELLERUM.

1741

ADOLPHO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

p30972

Ex quo tempore Solon primus reipublicae administrandae plebem aliqua ex parte participem fecerat, qui apud Athenienses populi causam agebant, eos usque ad Periclis aetatem id unum egisse scimus, ut cum universa magistratuum potestas quam angustissimis circumscriberetur cancellis, tum iurisdictio eorum ita definiretur, ut sui iuris sententiaeque essent rebus in diiudicandis perpaucis. Hoc augendi populi imperii studio denique factum est, ut omnium rerum publicarum rectio sensim ac pedetemptim transferretur ad ipsum populum, qui in iuratorum iudicum iudiciis levissimas cotidianae vitae lites eodem modo, quo gravissimas causas publicas diiudicabat. Sed quamvis late iudicum sententias patere, quamvis anguste coerceri vellent magistratuum potestatem, tamen etiam Athenienses intellexerunt, eam non posse stare rempublicam, in qua puniendi iure soli uterentur iudices; quam necesse esset, magistratus ipsos quoque coercitione quadam instrui, qua in eos, qui contra leges levius aliquid commisissent, vel quod iussi essent, non facerent, e vestigio vindicarent publica auctoritate. Atque revera in nulla fere civitate antiqua magistratus minus facile potuerunt carere hac potestate, quam in Atheniensium, quos ad tantam processisse licentiam, ut etiam gloriarentur, quod magistratus contemnerent, Pericles filius apud Xen. comm. III, 5, 16 verbis queritur hisce: *πότε δὲ οὕτω (Ἀθηναῖοι ὥσπερ Λακεδαιμόνιοι) πείσονται τοῖς ἄρχουσιν, οἳ καὶ ἀγάλλονται ἐπὶ τῷ καταφρονεῖν τῶν ἀρχόντων.* Quod magistratuum ius puniendi artissimis finibus circumscriptum fuisse apud Athenienses nemo miretur, qui, quae modo exposuimus, memoria teneat, atque illud quoque omnes facile inter se consentiant, propter ipsam Atheniensium reipublicae naturam fieri non potuisse, ut aliae poenae a

magistratibus nisi multae constituerentur. Sed hae multae subtiliter ab illis sunt segregandae, quae vel a iudicio irrogabantur, si quis peccaverat certa quadam lege neglecta, vel ab ipso populo iis, qui, quae plebiscito iussi essent, non ordine perficerent, in eodem hoc plebiscito proponebantur. Haec differentia ipsorum nominum diversitate cernitur: nam hae multae τιμήματα appellabantur, quia, quanta quisque noxius pecunia multaretur, aut aestimandum erat ipsis iudicibus, aut lege vel plebiscito erat iam aestimatum; illae dicebantur ἐπιβολαί, quia sola muneris auctoritate a magistratu iniciebantur. Quorum multarum generum etsi non semper eadem diligentia ab altero seiungitur alterum et utrumque interdum etiam generali illo, quo omnis significatur poena, ζημιῶν nomine notatur, tamen verba illa, quae sunt ἐπιβολὴ et ἐπιβάλλειν, nisi de multis, quarum magistratus aliquis auctor fuit, non usurpantur. Sed hac definitione, quod ad cognoscendam attinet harum multarum similitudinem vel discrepantiam, non multum proficitur, quia multo artiore necessitudinis quasi vinculo inter se continentur, quam ut verborum tali interpretatione satis illustrari possit, quae alteri intercedat cum altera ratio, quae huius potissimum propria sint multae, quae a magistratu imponitur. Quamobrem cum de Atheniensium institutis ac legibus multae sint controversiae inter homines doctos, si quid unam ad solvendam quaestionem conferre possimus, haud perditam hanc qualemcunque opellam rati, quid de huius ἐπιβολῆς vi ac natura statuendum videatur paucis explorabimus.

Quinque autem potissimum commentatiunculae ultro se offerunt partes. Nam ut reperiamus, qualis sit haec animadvertendi ratio, deinceps explicabimus: primum a quo magistratu, qua de causa, in quos homines hac multa vindicatum sit; deinde, quatenus de hac quidem re iudicari potest, usque ad quem finem magistratibus pecunia multare per leges licuerit; postremo quos in fiscos qua ratione solvendae fuerint hae singulae multae.

I.

Primum igitur a quonam irrogari potuerit haec multa quaerendum est, qua in re statim videbimus, quantopere non suffi-

ciant ad cognoscendam huius coercitionis naturam ea, quae apud grammaticos vel lexicographos veteres de hac re leguntur. Plerique enim, velut schol. ad Aristoph. vesp. v. 766 et ad Aesch. de fals. leg. § 93, Harpocr. et priore loco Suid. s. v. *ἐπιβολή*, Poll. VIII, 21, nihil aliud nisi poenam (*ζημίαν, ἐπιτίμιον, καταδίκην*) fuisse *ἐπιβολὴν* annotaverunt. Qui autem plura attulerunt: Suid. posteriore loco, de quo postea accuratius videbimus, et scriptor lex. illius rhet. e bibl. reg. Cant. (in Phot. ed. Pors. p. 669, 13: *ἔξεστι τοῖς ἄρχουσιν ἀργυρίῳ ζημιοῦν τοὺς ἁμαρτάνοντας· τὴν δὲ ζημίαν ταύτην ἐπιβολὴν καλοῦσι*) ipsi quoque in universum tantum, ab archontibus hanc multam constitutam esse, scripserunt. Sed qui fuerint illi *ἄρχοντες*, qui uterentur hac potestate, per se minime constat, quoniam verbi illius, quod est *ἀρχή*, notio tam latum habet apud Athenienses ambitum, ut non solum ad imperatores (cf. Lys. c. Alc. II § 1 *ἀπολ. δωροδ.* § 7. c. Ergocl. § 12. Aesch. c. Ctes. § 13. [Demosth.] c. Euerg. § 21) eosque haec vox pertineat, qui extra ordinem negotiis quibusdam publicis praesunt (cf. Aesch. c. Ctes. § 24. 27), verum etiam de scribarum publicorum (Lys. c. Nicom. § 2. 3 sqq.) quingentorumque senatus ([Xen.] resp. Ath. I, 3) munere usurpetur. Itaque a fontibus ipsis harum rerum notitiae nostrae, a veterum scriptis, quae servata sunt, proficiscentibus nobis enucleandum est, quibusnam inter permultos atque inter se diversos, qui *ἀρχῆς* nomine significantur, magistratus concessa fuerit haec coercitio.

Ac primum quidem annuos spectantes magistratus, initium quaerendi capiamus a novem archontibus, quos ut credamus hoc iure usos esse, facillime adducimur. Horum archontum quod ad illum attinet, qui princeps inter collegas anno nomen dabat, ei datam fuisse potestatem puniendi satis comprobatur lege in Demosth. c. Macart. or. § 75 inserta, qua *ὁ ἄρχων* orborum viduarumque saluti prospicere et, si quis in iis peccaverit, multas imponere iubetur his verbis: *ὁ ἄρχων ἐπιμελείσθω τῶν ὀρφανῶν καὶ τῶν ἐπικλήρων καὶ τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων καὶ τῶν γυναικῶν, ὅσαι μένουσιν ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἀνδρῶν τῶν τεθνηκότων φάσκουσαι κυεῖν. τούτων ἐπιμελείσθω καὶ μὴ ἐάτω ὑβρίζειν μηδένα περὶ τούτους· ἐὰν δέ τις ὑβρίζῃ ἢ ποιῇ τι παράνο-*

μον, κύριος ἔστω ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. Nam etsi Fr. Franke Neue Jen. Literaturztg. 1844 p. 739 et 742 cum ceteris, quae Demosthenis aliorumque orationibus inclusae sunt, legibus huius quoque orationis plures (§ 57 sq. 54. 51) suppositas esse demonstrare studuit, tamen quod quidem ad hanc attinet orationem leges illae maiorem fidem recuperaverunt, ex quo tempore unam certe (§ 57 sq.), ex parte in inscriptione inventam (C. I. Att. nr. 61), non esse falsam constat; atque per se in hac nihil inest, cur subditam eam esse putemus. — Ad eundem archontem ea referenda est *ἐπιβολή*, quam *ὁ ἄρχων* irrogare potuisse dicitur in Demosth. or. Mid. § 179. Demosth. hoc loco commemorat quendam, qui Dionysiis iniuria sede in theatro potitus quod ab altero per vim remotus esset, illum apud iudices in hunc modum accusaverit: *εἰ κατελάμβανον ἄνθρωπε θέαν, εἰ μὴ τοῖς κηρύγμασιν, ὡς σύ με φῂς, ἐπειθόμην, τίνος ἐκ τῶν νόμων εἶ κύριος, καὶ ὁ ἄρχων αὐτός; τοῖς ὑπηρέταις ἐξείργειν εἰπεῖν, οὐκ αὐτὸς τύπτειν. οὐδ' οὕτω πείθομαι· ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν, πάντα μᾶλλον πλὴν αὐτὸς ἅψασθαι τῇ χειρί.* Quae hic verba leguntur: *καὶ ὁ ἄρχων αὐτός*, ea nimirum dicta intellegenda sunt de archonte primo, qui ut omnia, quae ad Dionysia celebranda pertinent, moderatus est, ita in theatro quoque ordini servando consuluit et, si quis contra leges irruperat, eum removit atque resistentem multa affecit.

Sed praeterea etiam alterum quiddam hoc loco docemur. Luce enim clarius est, cum, qui his verbis ab adversario incusari fingitur, quamquam non esset archon, tamen ipsum quoque tum, cum Dionysia illa agerentur, publica usum fuisse dignitate, et ea quidem, ut sua ipsius auctoritate multas posset statuere. Quod quale fuerit munus, qui quaerat, eum ad antecedentis § 178 haec verba revoco: *ἕτερος ἀδικεῖν ποτ' ἔδοξεν ὑμῖν περὶ τὰ Διονύσια, καὶ κατεχειροτονήσατ' αὐτοῦ παρεδρεύοντος* (cf. § 181) *ἄρχοντι τῷ νίκῃ, ὅτι θέαν τινὸς καταλαμβάνοντος ἥψατο, ἐξείργων ἐκ τοῦ θεάτρου*, e quibus satis apparet, eum, quem hoc modo provinciae suae terminos egressum esse narrat Demosth., assessorem fuisse primi archontis. Neque mirum est, assessoribus, quos tres superiores archontes sibi assumpserunt binos, item datam fuisse potestatem multandi, quoniam *ἀρχῆς*

voce significati (cf. Apoll. c. Neaer. § 72) eadem, quae archontes ipsi, expediebant negotia et administrationis suae aeque ac ceteri magistratus rationem reddere debebant (cf. Harpocr. in *πάρεδρος*).

Ab altero, qui regis notatur nomine, archonte eodem hoc modo animadversum esse in noxios, eo *ἐπιβολῆς* exemplo cernitur, quod in Lys. quae fertur c. Andoc. or. invenimus. Nam quamvis inter se differant, quae huius or. scriptor ab Andocide impie nefarieque commissa esse accusat, et quae ipse Andocides in or. sua de myst. habita revera se fecisse profitetur, tamen cum tota or. de iis agitur sceleribus, quorum regis est iurisdictio, tum in § 21: *σκέψασθε δὲ καὶ αὐτοῦ Ἀνδοκίδου τὸν βίον, ἀφ' οὗ ἠσέβηκε, καὶ εἴ τις τοιοῦτος ἕτερός ἐστιν. Ἀνδοκίδης γὰρ ἐπειδὴ ἥμαρτεν, ἐξ ἐπιβολῆς εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, ἔδησεν ἑαυτὸν τιμησάμενος δεσμοῦ, εἰ μὴ παραδοίη τὸν ἀκόλουθον*, verbis illis, quae sunt *ἠσέβηκε* et *ἥμαρτεν*, idem, ex quo accusator contendit initium duxisse Andocidis incommoda, tempus significari satis perspicuum est; qua re peccatum illud, de quo scriptum est *ἥμαρτεν*, certe *ἀσέβεια* quae vocatur fuisse debet. Omnium autem, quae in deos peccarentur, iurisdictionem penes alterum fuisse archontem constat. A rege igitur haec irrogata est multa. — Neque aliter iudicari potest de poena, quam iis fuisse propositam, qui intra Pelasgicum fructum ex agro caperent, apud Poll. VIII, 101 legimus: ... *οὗτοι παρεφύλαττον μή τις ἐντὸς τοῦ Πελασγικοῦ κείρει ἢ κατὰ πλέον ἐξορύττει, καὶ τῷ ἄρχοντι παρεδίδοσαν. τὸ δὲ τίμημα ἦν τρεῖς δραχμαὶ καὶ ἁπλοῦν τὸ βλάβος.* Quamquam enim, qui Pelasgicum illud custodivisse dicuntur *οὗτοι*, nomine non appellantur, hoc apertissimum est, eos multam adeo non imposuisse ipsos, ut contra archonti traderent noxios puniendos; quem archontem fuisse regem, Thucydidis hoc loco defendo (II, 17, 1): *τό τε Πελασγικὸν καλούμενον τὸ ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν, ὃ καὶ ἐπάρατόν τε ἦν μὴ οἰκεῖν καί τι καὶ Πυθικοῦ μαντείου ἀκροτελεύτιον τοιόνδε διεκώλυε, λέγον ὡς τὸ Πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον* e. q. s., quibus verbis, religionem fuisse Atheniensibus integram relinquere sacram (*ἐπάρατον*) illam regionem, probatur. Itaque poenam illam sic esse statutam censeo: cuius nomen, ut eius qui Pelasgi-

cum illud in suam rem convertisset, a curatoribus illis delatum erat, eum commisisse hanc ipsa lege definitam trium drachm. multam rex dixit, i. e. muneris sui auctoritate hac multa affecit. Simul autem Pollucis his verbis cernitur, custodibus ipsis, qui ne coleretur Pelasgicum illud curabant, tamquam regum ministris, nullam fuisse permissam potestatem multandi; quod idem ad alios quoque spectasse ministros publicos, qui magistratibus erant attributi, velut ad scribas, quaestores, alios, iure colligitur.

Tertius ille archon, qui vocabatur *πολέμαρχος*, quo multam irrogasse narretur, nullus est locus. Tamen quod in Apollodori c. Steph. or. II. § 22: *νόμος κελεύει ἐπιδικασίαν εἶναι τῶν ἐπικλήρων ἁπασῶν, καὶ ξένων καὶ ἀστῶν, καὶ περὶ μὲν τῶν πολιτῶν τὸν ἄρχοντα εἰσάγειν καὶ ἐπιμελεῖσθαι, περὶ δὲ τῶν μετοίκων τὸν πολέμαρχον* cf. § 23, peregrinorum inquilinorumque filiabus heredibus polemarchum consuluisse eodem modo, quo civium primum archontem, legimus, facile concedamus, in hoc certe conficiendo negotio illum iisdem de causis, quibus hunc, etiam multare potuisse pecunia.

Superest ut de iis disseramus huius multae exemplis, quae non minus ad sex illos, qui *θεσμοθέται* proprio suo nomine appellantur, archontes quam ad priores tres referenda sunt; ubi quis quamque multam irrogaverit archon, non constat. Huc eae pertinent multae, quae a magistratibus, cum iudiciis praeessent, dictae sunt. Velut in Apoll. or. c. Nicostr. § 14 Nicostratum *ἐπιβολῇ* affectum esse videmus propter rem quandam non exhibitam; quae quidem causa qualis fuerit, suo loco pluribus disputabimus. Nunc satis est sibi persuadere, hanc multam non potuisse constitui nisi eius magistratus opera, qui instruxerat totam illam actionem. Sed quis fuerit ille magistratus, quin etiam num omnino inter novem archontes fuerit, hoc diiudicari nequit propterea, quia non liquet, quamnam rem exhibere Nicostr. iussus sit. Nam cuius magistratus ad officium *ἡ εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν δίκη* spectet, in eius rei natura est positum, cuius exhibendae causa haec lis intenditur. Ut si illa res testamentum erat (cf. Isae. Philoct. § 31), vel aliud quid, quod ad orborum viduarumque curam vel omnino ad civium

familiaria iura spectabat, ad primum archontem eius, qui detrectaret exhibitionem, nomen delatum est; quibus terminis recte censuit Meier. Att. Proc. p. 45 ea esse definienda, quae Harpocr. in *εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν* Aristotele, ut ait, teste de primi archontis hac potestate scripsit: *ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ πρὸς τὸν ἄρχοντά φησι λαγχάνεσθαι ταύτην τὴν δίκην, τὸν δὲ ἀνακρίνοντα εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον.* Talis igitur multae is magistratus auctor fuit, cuius quaeque res pertinuit ad iurisdictionem.

Quod idem cadit in illam poenam, quam Poll. VIII, 37: *τὸν δ' οὐ βουλόμενον μαρτυρεῖν ἐκλήτευον, ἀνάγκην τοῦ μαρτυρῆσαι προστιθέντες· ἔδει δὲ αὐτὸν ἢ μαρτυρεῖν, ἢ ἐξομόσασθαι, ὡς οὐκ εἰδείη ἢ μὴ παρείη, ἢ χιλίας ἀποτίνειν,* et Harpocr. s. v. *κλητῆρες: λέγεται δὲ κλητεύεσθαι καὶ ἐκκλητεύεσθαι ἐπὶ τῶν μαρτύρων, ὅταν μὴ ὑπακούωσι πρὸς τὴν μαρτυρίαν ἐν τοῖς δικαστηρίοις, καὶ ἔστιν ἐπιτίμιον κατ' αὐτῶν δραχμαὶ χίλιαι, ὡς Ἰσαῖος ἐν τῷ ὑπὲρ Πύθωνος ἀποστασίου,* quem secuti sunt Phot. Suid. Lex. Seg. p. 272, 10, ab eo expetitam esse tradiderunt, qui in causa aliqua testimonium dicere apud iudices rite adhibitis testibus iussus, ad certam diem non respondisset. Hanc quoque multam apparet ab unoquoque statui potuisse magistratu, qui in instruenda lite, ut testimonium quoddam ad rem diiudicandam afferretur, expostulasset. Maioris autem harum causarum partis iurisdictio quin penes thesmothetas, qui vocantur, fuerit dubitari non potest; quamobrem hi quoque multas imposuisse putandi sunt.

Atque de archontibus qui proprie dicuntur hactenus; nunc de ceteris videbimus magistratibus primumque iis, quorum negotia spectant ad redituum publicorum atque aerarii curam. Ac primum velim inspicias ea, quae in Xen. hell. I, 7, 2, postquam pugna apud Arginusas facta sex ex decem imperatoribus Atheniensibus quamvis adempto imperio Athenas rediisse enarratum est, his verbis leguntur: *Ἀρχέδημος ὁ τοῦ δήμου τότε προεστηκὼς ἐν Ἀθήναις καὶ τῆς διωβελίας ἐπιμελόμενος Ἐρασινίδῃ* (qui fuit in eorum, qui Athenas reverterant, ducum numero) *ἐπιβολὴν ἐπιβαλὼν κατηγόρει ἐν δικαστηρίῳ, φάσκων ἐξ Ἑλλησπόντου αὐτὸν ἔχειν χρήματα ὄντα τοῦ δήμου.* Archedemus ille, qui hoc

loco appellatur *ὁ τοῦ δήμου τότε προεστηκὼς καὶ τῆς διωβελίας* (quod egregie divinavit Dindorf. illius *διωκελίας* loco, quod libri exhibent) *ἐπιμελόμενος*, quo munere functus sit illo tempore, magna est controversia inter homines doctos. Nam privatus homo quin tum non fuerit Archedemus, sed certum quendam gesserit magistratum, de hac re profecto dubitari nequit idcirco, quia Erasinidem antequam in iudicium vocaret, multa affecit. Quod ad Archedemi officium publicum nullo modo pertinere ea, quae scripta sunt: *ὁ τοῦ δήμου τότε προεστηκὼς*, plane pro certo habeo. Pluribus enim locis Thucyd. (VI, 28, 2. VIII, 65, 2. 89, 4) aliorumque nonnullis confirmatur, hac voce nihil unquam aliud significari ab Atheniensibus nisi quod verbo illo *δημαγωγοῦ*; velut Archedemus ipse a mystarum choro in Aristoph. ranis v. 417 ipso illo tempore datis, paucis mensibus post cladem ad Arginusas acceptam, his verbis illuditur:

ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτερας,
νυνὶ δὲ δημαγωγεῖ
ἐν τοῖς ἄνω νεκροῖσι.

Hoc igitur solum verbis illis *ὁ τοῦ δήμου τότε προεστηκὼς* docemur, Archedemum pro contione suadendo ac dissuadendo publicorum consiliorum tum fuisse auctorem. — Sed quae sequuntur: *τῆς διωβελίας ἐπιμελόμενος*, ea verba magis proprie dicta sunt, quam ut hoc tantum sibi velle possint, Archedemi ut hominis popularis fuisse curare, ut quam maximae largitiones *θεωρικῶν* nomine inter populum dividerentur. Immo potius verisimillimum est, ad certum quoddam munus referenda esse haec verba, idque idem, cuius auctoritate multam illam Archedemus imposuit. Ipsumne autem his verbis, quae sunt *τῆς διωβελίας ἐπιμελόμενος*, illud, quod Archedemi ex muneris potestate proprium fuit, nomen efferatur, an ex parte modo designetur, quae eius fuerint officia, non statim liquet. Sed quoniam nullo alio loco talis invenitur magistratus, qui illo tempore largitionibus illis praefuerit — nam qui quarto saeculo fere medio inde a sociali bello per nonnullos annos usque ad Hegemonis legem quotannis ex senatorum numero eligitur *ὁ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν*, nihil ad quintum saeculum pertinet — quoniam pluribus deinde illius aetatis inscriptionibus (C. I. Gr. nr. 147—149.

cf. Boeckh. Staatsh. II p. 10 sqq.) cernitur, iis, qui ἑλληνοταμίαι vocantur, quaestoribus magnas pecunias a deae aerarii praefectis saepius solutas esse ἐς τὴν διωβελίαν; videtur iure colligi posse, proprium dividendis illis largitionibus praefectum certe ante abolitos hellenotamias non fuisse Athenis (cf. Boeckh. Staatsh. I p. 245. 311), sed illo munere functos esse ipsos hos magistratus, quibus pecuniae illae ἐς τὴν διωβελίαν exsolverentur. Ceterum si proprii fuissent largitionum illarum curatores (τῆς διωβελίας ἐπιμελόμενοι), miraremur sane non tam, quod argentum illud non ipsis illis curatoribus pendebatur a deae quaestoribus, quam quod non distincte hae quoque pecuniae eo consilio, ut ad curatores illos referrentur, hellenotamiis traditae esse dicuntur, sicut illae, quae ad bellum gerendum hellenotamiis numerabantur, imperatoribus destinatae esse leguntur: cf. C. I. Att. nr. 188 v. 10. 17. Quae cum ita se habeant, Archedemum hellenotamiam fuisse censeo atque huius muneris auctoritate multam illam irrogasse Erasinidi duci.

Eodem iure usos fuisse etiam ἀποδέκτας, quorum in fiscum fructus publici omnes erant referendi, ex his verbis, quae apud Poll. VIII, 97 scripta sunt, patet: ἀποδέκται δὲ ἦσαν δέκα, οἳ τοὺς φόρους καὶ τὰς εἰσφορὰς καὶ τὰ τέλη ὑπεδέχοντο, καὶ τὰ περὶ τούτων ἀμφισβητούμενα ἐδίκαζον. εἰ δέ τι μεῖζον εἴη, εἰσῆγον εἰς δικαστήριον. Nam quamvis saepe cum ab aliis scriptoribus, tum a Poll. verbum illud, quod est δικάζειν, de magistratu usurpetur eo, qui actionem instruit iudicioque iuratorum iudicum praeest, hoc tamen loco alia est huius vocis vis ac potestas, ut ex verbis illis, quae sequuntur: εἰ δέ τι μεῖζον εἴη, εἰσῆγον εἰς δικαστήριον, facile intellegitur. Illi enim sententiae: sin autem maiorem commeruerat poenam, noxium adducebant in iudicium, haec sola praecedere potest: si levius erat delictum, ipsi magistratus sua auctoritate poenam statuebant. — Duobus igitur fiscorum publicorum praefectis potestatem fuisse multandi aperte est traditum: hellenotamiis et apodectis. Quo utroque exemplo adiuti, non sine causa sic iudicare nobis videmur: quicunque publicis in administrandis pecuniis sua ipsorum auctoritate uterentur magistratus, eos habuisse omnes eandem hanc coercitionem; quod maxime necessarium fuisse nemo

negaverit, qui animo sibi effinxerit, quot controversiae his magistratibus oriri potuerint cum privatis hominibus.

Sed multo etiam minus eos hoc iure puniendi carere potuisse magistratus concedendum est, quibus in universum morum praefectura et publicae securitatis cura delata erat; quod ad munus fungendum permultum interest, eos, qui quid deliquerint contra publicam disciplinam, e vestigio affici poena. — Horum in magistratuum numero fuerunt *ληξίαρχοι*, de quibus Poll. VIII, 104: *ληξίαρχοι ἓξ καθίσταντο τῶν πολιτῶν ἐγγεγραμμένων ἐν λευκώματι, καὶ τριάκοντα ἀνδρῶν αὐτοῖς προσαιρεθέντων τοὺς μὴ ἐκκλησιάζοντας ἐζημίουν καὶ τοὺς ἐκκλησιάζοντας ἐξήταζον* cf. schol. ad Aesch. c. Tim. § 18. Lexiarchi igitur sex a populo creati una cum triginta sibi attributis ministris cancellorum, quibus contio erat circumdata, custodiverunt introitus neque quemquam intromiserunt (*ἐξήταζον*), nisi civem esse eum ex tabulis ecclesiasticis, quas haud dubie habebant in manibus, cognoverant. Praeterea autem ex verbis illis Poll. hoc certe perspicitur, licuisse his magistratibus poenas i. e. *ἐπιβολὰς* constituere. Sed quod scriptum est, eos a lexiarchis esse multatos, qui comitiis interesse neglegerent, hoc credi vix potest; primum quia multi saepe, interdum plurimi cives facere omnino non poterant, ut in contionem irent; deinde quia adeo non cogebantur Athenienses adesse comitiis, ut quibusdam temporibus etiam praemio ii afficerentur, qui non deerant huic officio. Itaque verba illa Poll. corrupta esse concedendum est. Revera haec lexiarchorum potestas ad eos solos spectasse potest, qui comitiis interesse legibus vetiti tamen in saepta irrepere conarentur (*τοὺς μὴ ἐξὸν ἐκκλησιάζοντας*) neque parerent lexiarchorum praeceptis. — Ab iisdem lexiarchis imposita etiam alia est multa, de qua schol. ad Aristoph. Ach. v. 22 haec annotavit: *εἰώθεσαν ὑπηρέται δύο μεμιλτωμένον σχοινίον ἐκτείνοντες διὰ τῆς ἀγορᾶς διώκειν τὸν ὄχλον εἰς τὴν ἐκκλησίαν. ὅσοι δὲ ἐχρίοντο, ἐξέτινον ζημίαν.* Quam multam a lexiarchis dictam esse, ex eo colligendum puto, quod huic compellendi cives miniatis funibus negotio praefuisse lexiarchos Poll. VIII, 104 scripsit verbis, quibus ea, quae supra modo laudavimus, excipiuntur, hisce: *καὶ σχοινίον μιλτώσαντες* (nimirum *ληξίαρχοι*) *διὰ*

τῶν τοξοτῶν συνήλαυνον τοὺς ἐκ τῆς ἀγορᾶς εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Haec de lexiarchis disputata sufficiant.

Nunc contemplemur ea, quae in Xen. conv. II, 20 Philippus scurra quidam Charmidi, qui quamquam non posset saltare, tamen manibus componere gestus se scire professus est, in hunc modum iocose respondet: *Νὴ Δία, καὶ γὰρ οὖν οὕτω τὰ σκέλη τοῖς ὤμοις φαίνει ἰσοφόρα ἔχειν, ὥστε δοκεῖς ἐμοὶ, κἂν εἰ τοῖς ἀγορανόμοις ἀφιστῷης ὥσπερ ἄρτους τὰ κάτω πρὸς τὰ ἄνω, ἀζήμιος ἂν γενέσθαι.* Haec verba *ἀζήμιος ἂν γενέσθαι* intellegi omnino nequeunt, nisi agoranomi qui vocantur sua auctoritate a noxiis *ζημίαν* quandam, nimirum multam, potuerunt expetere; quam potestatem iis necessariam fuisse magistratibus, qui rerum venalium foro praefecti merces reicerent improbas atque hoc quidem loco universam servarent disciplinam publicam, nemo est sine dubio, qui neget. Quare etiam Plato in sua republica agoranomos iure quasi instruxit puniendi, qui in legg. 764 b iubet: *τοὺς δὲ δὴ ἀγορανόμους τὸν περὶ τὴν ἀγορὰν κόσμον διαταχθέντα ὑπὸ νόμων φυλάττειν καὶ ἱερῶν καὶ κρηνῶν ἐπιμελεῖσθαι τῶν κατ' ἀγορὰν, ὅπως μηδὲν ἀδικῇ μηδεὶς, τὸν ἀδικοῦντα δὲ κολάζειν.*

Plane eiusdem generis atque agoranomi munere functi sunt metronomi, quibus mensurarum curationem datam fuisse Aristot. docuit Harpocratione quidem teste, qui in *μετρονόμοι* de ipso munere haec annotavit: *εἶχον δὲ τὴν ἐπιμέλειαν ὅπως δίκαια ᾖ τὰ μέτρα τῶν πωλούντων, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ δηλοῖ* (cf. Phot. p. 264, 25. Lex. Seg. p. 278, 25). Itaque ne his quidem magistratibus dubitaverit quisquam quin multas irrogare licuerit, etiamsi non inscriptio quaedam exstiterit C. I. Gr. nr. 123 v. 7 sqq., in qua de parandis mensuris ac ponderibus iustis haec verba leguntur: *αἱ δὲ ἀρχαὶ, αἷς οἱ νόμοι προστάττουσι, πρὸς κατεσκευασμένα σύμβολα σηκώματα ποιησάμεναι . . . ἀναγκαζέτωσαν τοὺς πωλοῦντάς τι ἐν τῇ ἀγορᾷ ἢ ἐν τοῖς ἐργαστηρίοις ἢ ἐν τοῖς καπηλείοις ἢ οἰνῶσιν ἢ ἐπ' οἰκημάτων χρῆσθαι τοῖς μέτροις καὶ τοῖς σταθμοῖς τούτοις.* Nam *ἀναγκαζέτωσαν* illud, quod in hoc plebiscito scriptum est, quomodo factum sit, nemo fere animo sibi effingat, nisi certa quaedam coercitio permissa fuerit ipsis his magistratibus, qua vin-

dicarent fraudes circa pondera et mensuras commissas. Verba autem illa *αἱ δὲ ἀρχαὶ* omnino referenda esse ad metronomos, qui quidem nullo totius huius inscriptionis loco suo ipsorum nomine appellantur, ex Harpocr. loco, quem supra laudavi, satis magna cum probabilitate efficitur, nisi forte quis ostendat, metronomos iam nullos fuisse illo tempore, quo hoc monumentum conscriptum est, i. e. Boekh. auctore post Ol. 152.

Atque simili iudicio utimur, quod ad Lys. or. *κατ. τ. σιτοπ.* § 16 haec verba attinet: *οὕτω δὲ πάλαι περὶ τῆς τούτων (τῶν σιτοπωλῶν) πανουργίας καὶ κακονοίας ἡ πόλις ἔγνωκεν, ὥστ' ἐπὶ μὲν τοῖς ἄλλοις ὠνίοις ἅπασι τοὺς ἀγορανόμους φύλακας κατεστήσατε, ἐπὶ δὲ ταύτῃ μόνῃ τῇ τέχνῃ χωρὶς σιτοφύλακας ἀποκληροῦτε· καὶ πολλάκις ἤδη παρ' ἐκείνων πολιτῶν ὄντων δίκην τὴν μεγίστην ἐλάβετε, ὅτι οὐχ οἷοί τ' ἦσαν τῆς τούτων πονηρίας ἐπικρατῆσαι.* Nam etiam horum sitophylacum cura in eo potissimum versabatur, ut eorum, qui suum commodum communi utilitati anteponerent, frangerent contumaciam. Fieri autem hoc *ἐπικρατῆσαι* non potuit, nisi his quoque magistratibus certa fuit potestas multandi.

Quae adhuc exposuimus, ad illa maxime pertinent tempora, quibus libertatem nondum perdiderant Athenienses Macedonum imperio subiecti. Posteriore autem tempore usos fuisse magistratus eadem hac coercitione, et plebiscito illo de mensuris ponderibusque facto et eorum comprobatur magistratuum exemplo, qui nimiam luxuriam coercere iussi *γυναικονόμοι* appellabantur. Haec enim forma, quae exhibetur ab Aristot. polit. 1299ª 22. 1300ª 4. Athen. VI, 245 a b. Hesych. in *πλάτανος*, Polluci VIII, 112 quoque restituenda esse videtur. Nam quod in libris praeter Palatinum legitur: *γυναικοκόμοι*, hoc pro mero librariorum errore habendum est; quod confirmatur talium verborum similitudine, qualia sunt *ἀγορανόμοι*, *ἀστυνόμοι*, *μετρονόμοι*; quamobrem *γυναικοκόσμοι*, quod Bekkerus posuit, non probaverim. Sed quomodocunque haec res se habet, sive *γυναικοκόσμοι* sive *γυναικονόμοι* proprio suo nomine vocati sunt hi magistratus, multas statuere iis licuisse, hoc certe constat auctoritate Pollucis, qui horum magistratuum officia si non complectitur, tamen attingit his verbis: *γυναικονόμοι δὲ*

ἀρχὴ ἐπὶ τοῦ κόσμου τῶν γυναικῶν. τὰς δὲ ἀκοσμούσας ἐζημίουν. Hac potestate Atheniensium gynaeconomi non magis caruerunt quam Chaeroneensium, de quibus Plut. Sol. c. 21, postquam pluribus disputavit de Solonis sumptuariis legibus, haec scripsit: πρόσκειται δὲ τοῖς ἡμετέροις ζημιοῦσθαι τοὺς τὰ τοιαῦτα ποιοῦντας ὑπὸ τῶν γυναικονόμων. Atque etiam exemplum reperitur huius coercitionis, quod suo loco tractabimus. In praesens tempus in iis, quos attulimus, locis acquiescamus. Sufficiunt enim, ex quibus iure cogamus, eandem potestatem multandi reliquis quoque fuisse magistratibus, quibus disciplina publica esset servanda; velut astynomis, quos Plato in sua republica hoc iure donavit cf. legg. 764 c.

Restat quod ad annuos attinet magistratus, ut disseramus de iis, qui rei militari praecerant; qui, ut nulla alia re quantulacunque a ceteris differunt magistratibus, ita coercitionem quoque eandem habuisse putandi sunt. Hoc satis mihi videtur ostendi uno imperatorum exemplo, quod in Lys. c. Alc. or. II § 5 invenitur. Hoc enim loco is, qui accusatorio libello subscripsit, contra imperatores illos, qui Alcibiadis defendendi causa suo ipsorum iussu equo eum meruisse professi erant, haec profert: ἐχρῆν γὰρ αὐτοὺς — nimirum qui antea vocantur ἄρχοντες, quo nomine etiam alio loco (Lys. c. Alc. I § 21) ii notantur στρατηγοί, quorum auxilio hac in causa usus est Alc. — εἴπερ ἀληθῆ λέγουσιν, ἀνακαλεῖν μὲν Πάμφιλον, ὅτι ἀφελὼν τὸν ἵππον ἱππέως ἀπεστέρει τὴν πόλιν, ἐπιβάλλειν δὲ τῷ φυλάρχῳ, ὅτι ἐξελαύνων Ἀλκιβιάδην ἐκ τῆς φυλῆς ἄκυρον ἐποίει τὴν τούτων τάξιν, ex quibus verbis, si quidem vere sunt dicta, facile intellegitur, imperatores multas imponere potuisse phylarchis.

Atque omnes, de quibus adhuc disputavimus, multae ab annuo quodam constitutae sunt magistratu. Sed haec magistratuum coercitio, quae verbis ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν significatur, etiam latiorem habuit ambitum, cum ad eos quoque pateret publicorum officiorum magistros, qui quamquam non ab ipso populo creabantur neque per totum annum fungebantur munere, tamen cum negotia administrarent anniversaria singulis annis solebant eligi. — Quo in numero fuerunt olearum praefecti, quibus publicarum olearum cura delata erat, qui in Lys. de olea

or., qua sola plura docemur de his magistratibus, § 25 *γνώμονες* proprio suo nomine appellantur. Atque haec forma, quam praeter Lysiae Palatinum praebent etiam Lex. Seg. p. 228, 23 et Etymol. M. p. 236, sola existimanda est vera, quamquam Harpocr. *ἐπιγνώμονας* exhibet. Hoc enim ea re errasse videtur Harpocr., quod § 29 iidem curatores magis generali *ἐπιμελητῶν* voce designantur eorumque de officio § 7 legitur *ἐπιμελεῖσθαι*, quibus verbis cum *ἐπὶ* praepositione copulatis deinde Harpocr. ipse etiam illud *ἐπισκόπους* addidit: *ἐπιγνώμονας· ἀντὶ τοῦ ἐπισκόπους Λυσίας ἐν τῷ περὶ τοῦ σηκοῦ*. Hi igitur curatores, qui non a populo, sed ab areopagitarum senatu (§ 25. 28. 29) ex ipsorum senatorum numero (§ 7. 29) eligebantur, tamen ipsi quoque pecunia multasse traduntur. Videmus enim § 25 eum, qui accusatus est, ipsum de se haec praedicantem: *αὐτοὺς τοίνυν ὑμᾶς* (sc. areopagitas, apud quos haec acta est causa cf. § 22) *τούτων μάρτυρας παρέξομαι, ἐπιμελουμένους μὲν ἑκάστου μηνὸς, γνώμονας δὲ πέμποντας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν· ὧν οὐδεὶς πώποτ' ἐζημίωσεν ὡς ἐργαζόμενον τὰ περὶ τὰς μορίας χωρία*, quibus ex verbis apparet, leviora in oleas delicta, velut si quis agrum circum oleas illas coleret (§ 24. 25. 29), multis esse vindicata ab olearum custodibus.

Quod si iam accidit praeter exspectationem, multo etiam magis miramur, eodem multandi iure usos fuisse choregos quoque, qui ne a senatu quidem altero utro, qui quidem totius civitatis gessisse dici possunt personam, sed a tribu sua creati ad ludorum publicorum sollemnia instituerunt atque exercuerunt plura chororum genera. His curatoribus certam quandam fuisse coercitionem, illius comprobatur choregi exemplo, qui apud Antiph. de chor. § 11 gloriatur, se ad agenda Thargelia puerorum (§ 12) chorum instruere iussum pueros coegisse non dictis multis (*ζημιώσας οὐδένα*). Causa autem, quamobrem choregis delata erat illa potestas, haec esse mihi videtur, quod sicut ludi ipsi fiebant omnium Atheniensium nomine, ita ii quoque, qui apparabant eos, imperare putabantur universi populi auctoritate. Atque simili ratione de iis iudicandum est multis, quas olearum praefecti expetiverunt, quos etiam ipsos totius civitatis nomine munus administrasse Lys. ipse testatur cf. § 29: *οἷς*

ὑπὸ τῆς πόλεως τὸν ἅπαντα χρόνον προστέτακται τῶν μοριῶν ἐλαιῶν ἐπιμελεῖσθαι.

Extremum illud est, ut de iis videamus negotiorum publicorum magistris, qui non interiecto certo temporis spatio tralaticio more solebant eligi, sed extra ordinem singularibus quibusdam provinciis praefecti lege demum instituendi erant propria, priusquam fieri posset creatio. Huiusmodi munere qui fungebantur magistratus, ipsi quoque *ἄρχοντες* vel *ἀρχαὶ* appellabantur atque omni ex parte plane eodem loco quo reliqui habebantur. Itaque ne puniendi quidem iure tales magistratus carebant, quod nonnullis confirmatur exemplis. — Atque primum inter hos magistratus ad tempus modo institutos respiciendi sunt illi *σύνδικοι*, qui post expulsos triginta, quos vocant, tyrannos constituti omnium earum causarum habebant iurisdictionem, quae de publicatis vel publicandis bonis inter privatum hominem et aerarium publicum oriri poterant cf. Lys. de bon. Erat. § 10. de bon. Eucr. liber. § 26. de bon. Aristoph. § 32. Harpocr. et Phot. s. v. *σύνδικοι*. Sed praeterea etiam aliud quoddam negotium his syndicis fuisse mandatum Lys. pr. Mant. or. § 6 sq. docemur. Populares enim, postquam in urbem redierunt, rogationem pertulerant, qua, quicunque equites triginta tyrannis imperantibus militassent, aes illud equestre, quod ad se parandos *καταστάσεως* nomine accepissent, reddere iussi erant. Quod ut legitime fieret, eodem plebiscito singulis phylarchis imperatum erat, ut suae quisque turmae equites in album relatos traderent illis syndicis, qui tum ipsi ex tabulis a phylarchis acceptis argentum illud ad aerarium redigerent. Qua de re quae hoc modo narrantur: *ἐπειδὴ γὰρ κατήλθετε, ἐψηφίσασθε τοὺς φυλάρχους ἀπενεγκεῖν τοὺς ἱππεύσαντας, ἵνα τὰς καταστάσεις ἀναπράξητε παρ' αὐτῶν. ἐμὲ τοίνυν οὐδεὶς ἂν ἀποδείξειεν οὐτ' ἀπενεχθέντα ὑπὸ τῶν φυλάρχων οὔτε παραδοθέντα τοῖς συνδίκοις**) *οὔτε κατάστασιν καταβαλόντα. Καίτοι πᾶσι*

*) Inter illud ἀπενεχθῆναι et hoc παραδοθῆναι haec statuenda est differentia. Verbo ἀποφέρειν nihil aliud significatur, nisi quod Latine dicunt: referre in tabulas; ut Apoll. adv. Polycl. § 6: ἀποφέρειν ναύτας nautarum commentarium conficere, et etiam magis perspicue id. adv. Timoth. § 16: ἃς ἐν τῷ λόγῳ ἀπήνεγκε χιλίας δραχμάς. Habemus igitur

ῥᾴδιον τοῦτο γνῶναι, ὅτι ἀναγκαῖον ἦν τοῖς φυλάρχοις, εἰ μὴ ἀποδείξειαν τοὺς ἔχοντας τὰς καταστάσεις, αὐτοῖς ζημιοῦσθαι, in his verbis illud ζημιοῦσθαι quomodo factum sit percipi nequit, nisi sumimus, licuisse syndicis phylarchos, si quidem tabulas illas non traderent, multis irrogatis ad officium reducere. Nam iudicii alicuius intercessisse sententiam, cogitari omnino non potest.

Atque prorsus eodem modo res se habet, quod ad illas attinet ἐπιβολὰς, quibus Nicomachum affectum esse legimus in Lys. c. Nicom. or. § 3: ἐπιβαλλόντων δὲ τῶν ἀρχόντων ἐπιβολὰς καὶ εἰσαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον οὐκ ἠθέλησε παραδοῦναι τοὺς νόμους; quas multas postea videbimus dictas esse a magistratibus iis, qui postquam missus est quadringentorum senatus, legibus scribundis instituti atque proprio suo nomine συγγραφῆς τῶν νόμων vocati, negotio illo confecto deposuisse imperium existimandi sunt.

Tertium eius multae exemplum, quae imponatur a magistratu, qui imperio usus est extraordinario, in Aesch. Ctes. § 27 invenimus. Profert enim hoc loco Aesch. inter alia ut ostendat, Demosth. a tribu sua inter τειχοποιοὺς electum plenum ac verum magistratum administrasse, haec verba: ὡς τοίνυν καὶ τὴν τῶν τειχοποιῶν ἀρχὴν ἦρχεν, ὅθ' οὗτος τὸ ψήφισμα ἔγραψε, καὶ τὰ δημόσια χρήματα διεχείριζε καὶ ἐπιβολὰς ἐπέβαλλε, καθάπερ οἱ ἄλλοι ἄρχοντες, καὶ δικαστηρίων ἡγεμονίας ἐλάμβανε, τούτων ... μάρτυρας παρέξομαι. Diserte igitur multasse praedicatur Demosth. eius muneris auctoritate, quo muros reficiendos curare iussus erat, non ut ἄρχων τὴν ἐπὶ τῷ θεωρικῷ ἀρχὴν, quae officia eodem sane illo tempore administrabat, quo inter murorum curatores receptus erat cf. § 24. Unde recte efficitur, quicunque Athenis fierent publicorum operum magistri (ἐπιστάται

---

haec: Si quis inter equites illos in albo a phylarchis inscriptus (ἀπενεχθεὶς) κατάστασιν illam in aerarium solvit, etsi ipse quoque sicut ceteri, qui sunt in tabulis, syndicis traditur, tamen inde nulla oritur actio. Sin autem quis eques in album relatus aes illud non reddit, tum eius nomen ad syndicos defertur (παραδίδοται) ea ipsa de causa, ut aut litem instruant aut sua auctoritate in eum vindicent. Haec enim propria vis inest in verbo illo παραδιδόναι cf. Poll. VIII, 101. Lys. pr. mil. § 13.

τῶν δημοσίων ἔργων § 14. 29), iis omnibus multandi potestatem fuisse concessam.

Quibus rebus expositis, quod eo loco, quem postremum laudavi, omnes ἄρχοντες multas constituisse dicuntur (ἐπιβολὰς ἐπέβαλλε καθάπερ οἱ ἄλλοι ἄρχοντες), hoc modo ἐπιβολῆς ambitum aut artioribus aut latioribus circumscribi terminis iudicabimus. Nam si verbo illo, quod est ἄρχοντες, tria illa ἀρχόντων genera significentur, quae pluribus distinxit Aesch. § 29 et 14, quorum omnium iudicio alicui praeesse proprium sit, latius profecto ἐπιβολὴ pateat, cum etiam olearum praefecti atque choregi hac coercitione usi sint, qui tamen iurisdictionem certe habebant nullam. Quin etiam nescio an trierarchis quoque eadem haec potestas fuerit, quoniam, etsi erant homines quasi privati, tamen in navibus suis imperabant auctoritate publica atque eadem, quae magistratibus, administrationis ratio iis reddenda erat cf. Aesch. c. Ctes. § 19. Sin autem omnes, qui ἀρχόντων nomine notabantur, multas petivisse putantur, hoc falsum esse iam vidimus, cum ministris illis, qui singulis magistratibus adiutores dati, passim ipsi quoque ἀρχαὶ appellantur, multas statuere sine dubio non liceret. Immo potius sic definienda est haec magistratuum coercitio, ut unumquemque rerum publicarum curatorem, cuius ea esset potestas, ut suo sibi consilio uteretur in administrandis negotiis, ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν potuisse dicamus.

Sed ut verba illa, quae sunt ἀρχὴ et ἄρχειν, magis universa significatione apud Athenienses de senatorum quoque munere usurpata sunt (cf. Demosth. adv. Boeot. de nom. § 10. [Xen.] resp. Ath. I, 3. Thuc. VIII, 97, 1. Andoc. de myst. § 95), ita etiam hoc ius multandi ad quingent. senatum pertinuit. Atque plures reperiuntur multae a senatoribus irrogatae, de quibus singulis hoc loco pluribus disputare supersedemus, quoniam eaedem postea sunt rursus tractandae. Nunc satis est, ex unius Poll. testimonio cognoscere, omnino usum fuisse hac potestate quingent. senatum. Tradidit enim Poll. VIII, 51, tum potissimum locum fuisse huic coercitioni, cum ea, quae εἰσαγγελία vocaretur, actio, apud senatum esset instructa: περὶ

ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι, ἀδικῶν δέ τις ἁλίσκεται ἢ ἄρχων ἢ ῥήτωρ, εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγγελία δίδοται κατ' αὐτοῦ, κἂν μὲν μέτρια ἀδικεῖν δοκῇ, ἡ βουλὴ ποιεῖται ζημίας ἐπιβολήν, ἂν δὲ μείζω παραδίδωσι δικαστηρίῳ.

Neque aliam disserendi rationem eadem de causa sequimur, quod attinet ad areopagitarum senatum, cui ipsi quoque datam fuisse potestatem multandi, in praesens uno illo loco satis probatur, quo Demostheni, quod ab areopago multa affectus sit, his verbis crimini vertit Aesch. de fals. leg. § 93: *ὑπέμεινας τὴν ἐπιβολὴν τῆς βουλῆς τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου.* Accedit igitur ad singulos eos, quos sua auctoritate multas imposuisse vidimus magistratus, et quingentorum et areopagitarum senatus, quorum uterque eadem hac coercitione usus est.

II.

Haec fere sunt, quae afferre possumus, ut disceptemus, quibusnam apud Athenienses *ἐπιβολὴν ἐπιβάλλειν* licuerit. Sed hac re nondum profecimus multum, ut percipiatur, quae in universum fuerit *ἐπιβολῆς*, quae dicitur, ratio. Neque enim potest quisquam iudicare de huius poenae natura, nisi qui singulis diligenter examinatis exemplis cognovit, quaenam delicta apud Athenienses hac multa vindicata sint, quamobrem in universum haec poena sit expetita. Itaque de causis *ἐπιβολῆς* nunc est videndum; quam in rem accuratius inquirens tria huius multae genera inveni.

Atque primum in eum hac poena animadvertitur, qui a magistratu quodam facere aliquid iussus, dicto non fuit audiens. Hac de causa si quis multatur, non id agitur, ut noxius ad obsequium redactus rem sibi mandatam iam perficiat — quod interdum fieri iam non potest — sed hoc solum magistratui est propositum, ut insolentia puniatur. Quae cum ita sint, facile est ad intellegendum, huic *ἐπιβολῇ* non fuisse locum, nisi pro muneris sui auctoritate iustam quid postulandi causam haberet magistratus, nisi illa, quam fieri vellet, res ad suum ius et potestatem spectaret.

Atque revera hanc esse huius multae naturam, cum ex pluribus aliis, quae huius generis inveniuntur, exemplis clare

perspicitur, tum Lysiae illo, quem iam attigimus, loco (c. Alc. II § 5) probatur, quo accusator contendit, fuisse imperatorum illorum, qui se invitis Alcibiadem a phylarcho remotum esse ex equitum turma professi erant, multam statuere illi phylarcho hac de causa: *ὅτι ἐξελαύνων Ἀλκιβιάδην ἐκ τῆς φυλῆς ἄκυρον ἐποίει τὴν τούτων* (sc. *στρατηγῶν*) *τάξιν*. Distinctis igitur verbis multa potuisse affici phylarchus dicitur propterea, quod imperatoribus non paruisset, non eo consilio, ut cogeretur hac poena Alcibiadem etiam tum in equitum albo inscribere. — Neque alio loco eae habendae sunt multae, quas a lexiarchis irrogatas esse vidimus et in eo fungendo munere, quo contionis aditus custodiebant, et in eo, quo cives in comitia compellebant funibus miniatis. Non illud delictum, quod contra leges aliquis contioni intererat — in eum potius *ἔνδειξις*, quae vocatur, instituta est — non illud, quod civis aliquis comitiis adesse omnino neglegebat, a lexiarchis castigatum est, sed in eos vindicabant tali multa, qui aut ab ipsis a cancellis reiecti, tamen in contionem irrumpere conabantur, aut in comitia intrare iussi funis illius terminos studebant transgredi; qui igitur dicto non erant audientes a lexiarchis multati sunt. — Idem pertinet ad aliam poenam, quam omnibus magistratibus licuisse petere, ex his verbis efficitur: [Demosth.] c. Aristog. I § 23: *τὸ τὰς ἀρχὰς ἁπάσας, ὅσας οἱ λαχόντες ἄρχουσιν ὑμῶν, ἅμα τῷ τὸν ὑπηρέτην εἰπεῖν ˙μετάστητε ἔξω᾽ τῶν νόμων κρατεῖν ἐφ᾽ οἷς εἰσεπέμφθησαν, καὶ μὴ τοὺς ἀσελγεστάτους βιάζεσθαι*. Legum igitur compotes omnes sunt magistratus, cum eos, qui in consistorio adsunt, abire iubent, legum auctoritate omnes in imperando adiuti sunt. Hoc legum praesidium nimirum in eo praecipue versatur, quod, si quis maiore usus est contumacia et arrogantia, in eum multas quoque constituere possunt. Sunt enim semper, quorum licentia sola legis auctoritate coerceri nequeat, quos ad refrenandos magistratibus certa coercitione opus est. — Restat ea commemoranda huius generis multa, quam apud Demosth. c. Mid. § 179 legimus ab archonte primo eiusque assessore potuisse imponi, non quod quis contra leges in theatrum irrepsisset — in eum ipsum quoque locum habuisset *ἔνδειξις* — sed si quis e theatro egredi iussus, hoc recusaret imperium. Verum

tamen hoc loco dubitari iam potest, num solam propter insolentiam eius, qui magistratui non pareret, talis expetita sit multa. Praeterea enim etiam illud agere potuit magistratus, ut hoc modo cogeret aliquem theatro excedere; quod si sumimus, haec multa inter eas est referenda, quas in altera huius capitis parte tractabimus.

Alterius enim *ἐπιβολῆς* generis natura in eo est posita, ut magistratus non tam ipsam contumaciam vindicet, quam eum, qui, quod sibi mandatum est, se praestiturum esse negavit, pecunia multatum ad obsequium redigat. Concedendum sane est, hanc quoque iis semper irrogari multam, qui a magistratu quodam facere aliquid iussi non obediverint huic praecepto. Sed res non ita se habet, sicut in priore genere, ut neglecta re ipsa insolentia sola puniatur, sed hoc tantum agitur, ut is, qui obedientiam reliquit, quod recusavit, facere cogatur. Quo accedit, quod, si quis hac de causa multa afficitur, non magistratus demum imperio officium perficiendae illius rei quasi nascitur, non ex magistratus imperio res praestanda est. Immo iam diu priusquam magistratus publica auctoritate intercederet, alias ob causas, quae nihil spectant ad magistratum, noxii fuit, rem illam facere, quod quidem officium quasi conquievit ante magistratus illam adhortationem. Sed in hoc quoque genere tenendum est, statutis multis a magistratu eius tantum rei praestandae inici posse necessitatem, quam cum expostulet, sui muneris rationibus consulat, quae ad suam spectet auctoritatem. Causae autem, quibus rem talem perficere necessario aliquis cogitur iam antequam publicam auctoritatem inserit magistratus, variae esse possunt.

Ac primum quidem ex civilibus officiis, quae omnium civium communia ex ipsa civitate fluunt, haec necessitas oritur. Huc referenda est choregorum coercitio, de qua ab Antiph. de chor. § 11 docemur: *τὸν χορὸν συνέλεξα ὡς ἐδυνάμην ἄριστα οὔτε ζημιώσας οὐδένα οὔτε ἐνέχυρα βίᾳ φέρων οὔτ' ἀπεχθανόμενος οὐδενὶ, ἀλλ' ὥσπερ ἂν ἥδιστα καὶ ἐπιτηδειότατα ἀμφοτέροις ἐγίγνετο, ἐγὼ μὲν ἐκέλευον καὶ ἠτούμην, οἱ δ' ἑκόντες καὶ βουλόμενοι ἔπεμπον. ἐπεὶ δὲ ἦκον οἱ παῖδες* e. q. s. Ex hoc loco

iure concludimus, illo tempore singularum tribuum choros ex ipsis tribulibus constitisse et puerorum chorum ad instituendum parentibus certo ordine in unaquaque tribu mittendos fuisse liberos. Hoc modo etiam quarto saeculo Boeotus — Mantitheus, priusquam a Mantia patre in eius pagum tribumque reciperetur, in Hippothontidis chorum a matre missus est, quia mater erat ex Ciriadarum pago, qui Hippothontidi tribui assignatus erat cf. Demosth. c. Boeot. de nom. § 23. 24. 28. Itaque de hoc parentum officio dubitari non potest neque est quidquam, cur miremur, licuisse choregis, multis quoque coercere parentes, qui pueros ad chorum non darent. Atque haec coercitio ad viros quoque nescio an pertinuerit eos, qui in choreutarum numerum assumpti huic negotio deerant. Quin etiam concedendum est, ad omnia cetera, quae communi *λειτουργιῶν* nomine designantur, munia hanc magistratuum potestatem spectasse; si quidem in hac re de Atheniensium institutis coniectura fieri potest ex Platonis republica. Nam Plato certe voluit, omnes *λειτουργίας* praestandi necessitatem a magistratibus inici posse multando cf. legg. 949 d: *πάντων τῶν τοιούτων* (sc. *τῶν λειτουργιῶν*) *τὴν πρώτην ἀνάγκην τακτὴν εἶναι τῆς ζημίας ... ἕως ἂν ἐθελήσωσι δρᾶν τὸ προσταχθέν.* cf. Xen. Hier. IX, 4. — Eiusdem generis ea est poena, qua quis a primo archonte cogitur, filiam heredem sibi propinquam vel in matrimonium ducere vel dote instruere; qua de re in lege quadam in Demosth. Macart. or. § 54 inclusa — quibus de legibus iam explicavi quid censeam — verba leguntur haece: *ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγυτάτω γένους ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν ἢ ἐκδοῦναι.* Per se enim liquet, dictis multis factum esse illud *ἐπαναγκάζειν*, ac ne id quidem dubium est, quin hoc filiabus heredibus consulendi officium ex ipsa civitate unicuique ortum sit. — Praeter cives etiam ad inquilinos peregrinosque pertinent leges de ponderibus ac mensuris. Itaque coercitio quoque metronomorum latius patuit, cum etiam peregrinos inquilinosque adigerent, ut iustis et publice probatis uterentur mensuris; quo de metronomorum negotio haec verba scripta esse iam vidimus C. I. Gr. nr. 123. v. 9 sqq.: *ἀναγκαζέτωσαν τοὺς πωλοῦντάς τι ... χρῆσθαι τοῖς μέτροις καὶ τοῖς σταθμοῖς τούτοις.* Haec

igitur omnia vel ex ipsa civitate, vel ex eo, quod omnino Athenis aliquis versabatur, facienda erant.

Deinde a magistratu is hac multa ad officium reducitur, qui quamquam ipse quoque suscepit publica quaedam administranda negotia, tamen huic officio non satisfecit. Velut Nicomachus apud Lys. c. Nicom. § 3 ab archontibus qui vocantur ea afficitur multa, qua compellatur, ut munus suum ad finem perducat atque deponat: *ἐπιβαλλόντων δὲ τῶν ἀρχόντων ἐπιβολὰς . . . οὐκ ἠθέλησε παραδοῦναι τοὺς νόμους.* — Ac prorsus eodem modo phylarchos cognovimus multis potuisse adduci a syndicis, ut eorum traderent tabulas, qui equis meruissent illo tempore, quo triginta in urbe regnassent cf. Lys. pr. Mant. § 7.

Praeterea autem huius generis multa magistratus opera ei quoque imponitur, qui a iudicio rem quandam exhibere iussus, hoc imperium detrectavit; quod Apollodoro contigit, cuius in or. c. Nicostr. § 14 habemus hanc causam. Lycidas pistor a Nicostr. subornatus in Apollodorum, quasi prohiberetur ab illo suam quandam rem inspicere, eam actionem instituit, quae vocatur *δίκη εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν.* In libello accusatorio, quem archonti tradidit, Lycidas Arethusium aliumque falso (§ 17) inscripserat eos, quibus testibus (cf. Apoll. adv. Callip. § 10) Apollodorum certiorem fecisset de accusatione. Hac re factum est, ut archon libello accepto diem constitueret, qua ageretur — vel apud arbitrum publicum vel apud iuratos iudices — num iure Lycidas postularet exhibitionem. Qua tota accusatione quod solum efficere (§ 14) voluerunt adversarii, revera accidit. Nam Apollodorus quia omnium illarum insidiarum ignarus diem constitutam non obiit, ab arbitro — quod mihi videtur verisimilius; nam sic fere solet actio privata intendi — absens condemnatus est, ut rem illam Lycidae exhiberet apud archontem. Quo iudicio sancito archon alterum, quo res proferretur, vadimonium fecit, quo ipso quoque deserto Apollodorus auctore archonte tanta affectus est multa, quanta cogi posse videbatur arbitri praecepto parere. — Hac de causa multam illam irrogatam esse etiam Suid. mea quidem sententia censuit, qui s. v. *ἐπιβολὴ* altero loco haec protulit verba: *ὡς ὁριζομένη ζημία τοῖς ἁλοῦσιν ἐξημαρτηκέναι περὶ ὀρφανοὺς ἐπιτρόποις, ἢ καὶ ἄλλοις*

τισὶ τῶν τὰ δημόσια μὴ καλῶς διοικησάντων, ἢ τοῖς κατέχουσι τὰ ἀλλότρια καὶ μὴ εἰς ἐμφανὲς καθιστᾶσιν cf. Lex. Seg. p. 254, 27. Apparebit enim etiam reliqua, quae de causis ἐπιβολῶν hic scripta sunt, ex certis quibusdam exemplis, quae huius multae apud veteres reperiuntur scriptores, sumpta esse. Alienae igitur teste Suida res esse debent, quas quis exhibere hac poena cogatur, quibus verbis (τὰ ἀλλότρια) nihil aliud sine dubio significatur, nisi hoc: opus est de rerum illarum dominio iam esse diiudicatum, nimirum a iudice, quo iure eas accusator sibi vindicaret. Quo modo quamquam artioribus finibus haec εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν δίκη terminatur, tamen quatenus spectaret haec actio ad rei alicuius dominium, recte sensisse Suidam concedendum est. — Quae cum ita se habere putem, Apollodori verba illa, quae sunt: ἐγγράφει τῷ δημοσίῳ ἀπρόσκλητον ἐξ ἐμφανῶν καταστάσεως ἐπιβολήν, in hunc modum accipio. Nicostratus seu potius Lycidas Apollodoro ἀπρόσκλητον εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν δίκην intendit, qua procedente lite factum est, ut Apollodorus archontis opera multatus, ἐπιβολὴν ὀφείλων τῷ δημοσίῳ inscriberetur. Itaque ἐξ ἐμφανῶν καταστάσεως ἐπιβολή ea est multa, quae ex ipsa illa exhibitione, nempe neglecta, orta est. Quamobrem non recte fecisse mihi videtur Meier. Att. Proc. p. 376, quod pluribus eam explanare studet actionem, quae ἐξ ἐμφανῶν καταστάσεως δίκη appellata sit. Nam uno loco Lex. Seg. p. 264, 4, quo utrumque scriptum est, omisso ubicunque apud veteres haec actio proprio suo nomine significatur (Isae. Philoct. § 31. Poll. VIII, 33. Harpocr. Suid. Hesych. Lex. Seg. 187, 29. 194, 21), ibi εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν legitur; quibus verbis summo iure eam notari litem patet, quae eo tantum consilio instituebatur, ut res quaedam exhiberetur. Et ne id quidem probaverim, quod Meier. rem usque ad ipsam actionem (δίκην) progressam fuisse negat, contra ipsius oratoris haec verba § 14: διὰ Λυκίδου τοῦ μυλωθροῦ ποιησάμενος τὴν δίκην, et § 15: ἑξακοσίων καὶ δέκα δραχμῶν δίκην καταδικασάμενος. Propterea autem hanc multam esse petitam, quod Apollodorus diem ab archonte constitutam non obisset, hoc vix quisquam contendat, postquam de hac re recte disputavit Hudtwalck. über die diäteten p. 98 sq. Ceterum tenen-

dum est, talem multam ad solam illam *εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν δίκην* pertinuisse. Reliquis in causis privatis non opus fuit tali coercitione, in quibus contra eum, qui iudicio non obediebat, ea intenderetur actio, quae vocatur *δίκη ἐξούλης*. Dictam autem esse hanc quoque multam eo solo magistratu auctore, cuius ad officium causa spectaret, iam perspeximus.

Ad alterum hoc genus *ἐπιβολῆς* ea denique referenda est multa, quae a magistratu statuitur, si quis pecunias retinuit publicas. Quas qui se redditurum esse negavit, ab eo scilicet ad officium redire cogitur magistratu, cuius in fiscum pecuniae illae persolvendae sunt. Ita Xenophonte (hell. I, 7, 2) teste Erasinides dux ab Archedemo, quem tum in hellenotamiarum numero fuisse vidimus, eo consilio multa affectus est, ut argentum, quod suppressisset, publicum reddere cogeretur. Atque facile mihi videor hoc complecti posse cogitatione, quomodo factum sit, ut Archedemus notitiam haberet peccati illius Erasinidis, et qua ratione illud delictum ad Archedemi, ut hellenotamiae, munus pertineret. Nam argentum publicum, quod domum avertisse Erasinides accusatur, ei datum fuisse non ab hellenotamiis — quod quidem primum in mentem venit, quia his expensam esse eam pecuniam, quae imperatoribus traderetur in res militares, pluribus inscriptionibus docemur C. I. Gr. nr. 144—147. Rang. Ant. hell. nr. 116. 117. 119—122 — hoc sane constat ex Xen. his verbis: *φάσκων ἐξ Ἑλλησπόντου αὐτὸν ἔχειν χρήματα ὄντα τοῦ δήμου*. Adducor enim hoc loco, ut putem, Erasinidem imperatorem illo tempore, quo Conon cum collegis suis septuaginta navibus Samo profectus litora Aegaei maris diripuit (cf. Xen. hell. I, 5, 20), ex Hellesponti nonnullis oppidis residua exegisse tributa, quae haud plane in publicum usum consumpta esse, Archedemus postea comperit. Quod quidem facile fieri potuit, cum fortasse Archedemus ipse, ut hellenotamias, quibus tributa a sociis exsolvebantur, ipsas illas, quae in nominibus erant, pecunias ad bellum gerendum assignasset Erasinidi, priusquam hic cum aliis in missorum imperatorum locum suffectus Athenis proficisceretur. Omnino enim intercessisse inter hellenotamias et imperatores tales pactiones, ut illi non ipsam pecuniam his penderent, sed certo tempore se

soluturos esse modo pollicerentur, hoc Boeckh. Staatsh. II p. 14 ad illud *ἀνομολόγημα* docuit, quod in his verbis inscriptionis cuiusdam legitur C. I. Att. nr. 188 v. 16 sqq.: *ἐνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας ἑλληνοταμίαις παρεδόθη, Προξένῳ Ἀφιδναίῳ καὶ συνάρχουσιν, στρατηγῷ ἐξ Ἐρετρίας Εὐκλείδῃ ἀνομολόγημα* XXXΓHHΔΔΔΔIↃ. Spectasse autem tales assignationes ad id quoque argentum, quod Athenas perlatum non esset, hoc colligendum est ex eiusdem inscriptionis his verbis v. 20 sq.: *τριακοστῇ τῆς πρυτανείας τὰ ἐχ Σάμου ἀνωμολογήθη ἑλληνοταμία Ἀναιτίῳ Σφηττίῳ καὶ παρέδρῳ Πολυαράτῳ Χολαργεῖ* ΗΓTTX. Nam Samiae illae pecuniae in belli usum verti non poterant, nisi ita, ut imperatoribus eodem modo, quo hellenotamiis, perscriberentur cf. v. 34 sqq. Sic igitur Archedemus residua quaedam tributa Erasinidi ad bellum gerendum attribuit, quorum partem ille intervertit ad seque transtulit. Hac re factum est, ut Archedemus Erasinidem Athenas reversum, ut quas intercepisset pecunias redderet, adhortaretur et, se hoc facturum esse, negantem multa redigere ad obsequium conaretur. Quam ad poenam illud referendum esse censeo, quod apud Suid. de *ἐπιβολῆς* causis scriptum modo invenimus: *ἐπιβολὴν* multam dictam esse *ἄλλοις τισὶ τῶν τὰ δημόσια* (cf. Aristoph. vesp. v. 554) *μὴ καλῶς διοικησάντων*. Quamquam hoc loco distinctis verbis sane non traditur, ad obedientiam cogendam impositam esse hanc multam, hoc tamen verisimillimum est, quia peculatus ipse *ἐπιβολῇ* certe non vindicatur, praesertim ab archontibus. — Eodemque modo ad exigendas potissimum pecunias, quas quis in aerarium persolvere iussus, tamen retineret, ea quoque coercitio videtur pertinuisse, quam apodectis fuisse Poll. VIII, 97 testatur. Nam hi magistratus multa expetita id maxime egisse ex muneris sui natura putandi sunt, ut ad solvendum compellerent, si quis vectigalia vel tributa pendere recusaret.

Atque utriusque *ἐπιβολῆς* generis quae adhuc commemoravimus exempla, eorum, praeterquam quod ab eo solo, cuius ad potestatem res spectat, magistratu tali modo punitur, hoc est commune, quod nisi a singulis magistratibus multae non sunt statutae. Et ne illa quidem posterioris generis multa, qua Po-

lystratus invitus in quadringentorum numerum electus ab ipso senatu ad iusiurandum adigitur cf. Lys. pr. Polystr. § 14: *οὗτος δὲ οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν οὔτε καταλέγειν, ἀλλ' αὐτὸν ἠνάγκαζον, ἐπιβολὰς ἐπιβάλλοντες καὶ ζημιοῦντες*, ne hac quidem multum proficimus quaerentes, num quingentorum quoque senatus potuerit ad officium quem tali modo reducere. Nam iure dixerit quis, illam multam turbido ac seditioso tempore irrogatam a senatu non legitimo nullius esse momenti, cum praesertim republica denuo composita ne locus quidem fuisset huiusmodi multae, quia nempe ii soli sorte creari possent senatores, qui munus illud rogassent, cf. Harpocr. s. v. *ἐπιλαχών: ἐκληροῦντο οἱ βουλεύειν ἢ ἄρχειν ἐφιέμενοι, ἔπειτα ἑκάστῳ τῶν λαχόντων ἕτερος ἐπελάγχανεν* e. q. s.

Sed inveniuntur etiam alia nonnulla huius multae exempla, quibus satis probatur, etiamsi non instituerentur ea, quae *εἰσαγγελία* vocatur, actio, senatoribus licuisse eo consilio dicere multas, ut is, qui susceptam publicorum negotiorum administrationem desereret, implere cogeretur huius officii partes. Hoc modo intellegenda sunt ea, quae in plebiscito quodam de navibus ad certam expeditionem comparandis facto leguntur Boeckh. Seeurk. nr. XIV b v. 14: *τὴν δὲ βουλὴν τοὺς πεντακοσίους ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ἀποστόλου, κολάζουσαν τοὺς ἀτακτοῦντας τῶν τριηράρχων κατὰ τοὺς νόμους*. Poterat igitur quingent. senatus, ubi classem mitti populo placuerat, totam profectionem custodire iussus eos trierarchos, qui peccaverant aliquid in exornandis triremibus, multis afficere, nimirum ea de causa, ut trierarchis negotia sua diligentius conficientibus maiore celeritate naves instruerentur. Atque verisimillimum est, eodem hoc iure etiam ad milites conscribendos usum fuisse senatum; quo in utroque negotio senatores quasi induerent singulorum magistratuum personas. — Neque alia est causa, cur quingent. senatui puniendi ius datur ipso illo plebiscito, quo pluribus annis, postquam Demosthenes ad populum tulerat de murorum curatoribus instituendis, de integro constitutum est, quomodo muros reficiendi illud negotium perficeretur cf. Rang. Ant. hell. nr. 771 v. 25. Quo ex plebiscito quamvis mutilato hoc tamen cernitur, totius operis custodiam senatoribus traditam iisdemque conces-

sum fuisse, ut eos architectos, qui dicto non essent audientes (μὴ πειθαρχοῦντες), redigerent ad obsequium multis impositis. — Accedit, quod etiam posteriore tempore eandem hanc potestatem multandi senatus habuit; quantum quidem colligi potest ex plebiscito illo, quod iam laudavi, de ponderibus ac mensuris, quo senatores certo uniuscuiusque anni tempore mensuras inspicere iubentur C. I. Gr. nr. 123 v. 16 sqq.: ἐπιμελεῖσθαι τὴν βουλὴν τοὺς ἑξακοσίους τὴν ἀεὶ βουλεύουσαν ἐν τῷ Ἑκατομβαιῶνι μηνὶ, ὅπως μηδεὶς τῶν πωλούντων τι ἢ ὠνουμένων ἀσυμβλήτῳ μέτρῳ ἢ σταθμῷ χρῆται, iisque ea conceditur coercitio, qua magistratus, qui mensurarum curam sibi delatam neglexerint, ad officium redigant: ἐὰν δὲ οἱ ἄρχοντες μὴ συνεπισχύωσι τοῖς ἰδιώταις, ἐπαναγκαζέτω ἡ βουλὴ οἱ ἑξακόσιοι. — Verum tamen ex talibus ἐπιβολῆς exemplis ne quis concludat cavendum est, in omnes, qui Athenis essent magistratus, hoc modo vindicare potuisse quingent. senatum. Immo tenendum est, a senatu multis potuisse adduci ad munera diligenter fungenda eos solos publicarum rerum curatores, quorum ad negotia pertineret ipsius senatus auctoritas, quorum munerum administrationem ipse quasi custodire iussus esset. Qua eadem re accidit, ut ab areopago irrogatae huiusmodi multae non sit exemplum. Nam areopagitarum senatui mandari non solet eorundem negotiorum custodia, quorum cura delata est certis quibusdam magistratibus. Itaque quae ab areopagitis dictae sunt multae, eae ad tertium ἐπιβολῆς genus referendae sunt omnes.

Quo in tertio genere omnino multo latius patet ea, quae a senatibus definitur multa, quod mirari non possumus, quia tertiae huius ἐπιβολῆς proprium fuit, ut hoc modo puniretur, si quis levius quoddam delictum vel contra leges vel contra mores atque instituta ita commisisset, ut intra fines, quibus circumscriptum esse in quarto capite demonstrabimus et senatuum et magistratuum ius multandi, poena satis magna affici posse videretur. Hac igitur multa non mera contumacia coercetur, non omissa quaedam res quasi exigitur, sed castigatur certum quoddam delictum. Quo simul fit, ut nisi quis in ipsa culpa deprehensus tenetur, priusquam constitui potest haec ἐπιβολή, actio-

nem quandam intendi opus sit apud eum magistratum, cuius ad potestatem res spectat; quod plane supervacaneum fuit utroque in priore genere.

Atque ut primum tractemus ea peccata, quae a senatibus hoc modo vindicata sunt, quod quidem attinet ad quingent. senatum, ab illo prorsus nunquam haec statuta est multa, nisi ea, quam *εἰσαγγελίαν* vocant, actione instructa; quibus ipsis verbis iam dictum est, quingent. quoque senatum ea sola hoc modo punivisse delicta, quae pertinerent ad ipsius muneris ambitum. Ita apud Antiph. de chor. § 49 sq. legimus, quaestores nonnullos, quorum nomina, quia suppressissent pecunias publicas, a chorego illo, qui hanc orationem habuit, ad senatum delata erant, multis esse affectos, scilicet eo iure, quo senatus administrandis universis fructibus publicis praefuit: *πρυτανεύων πυθόμενος αὐτοὺς δεινὰ καὶ σχέτλια ἐργάζεσθαι εἰσῆγον εἰς τὴν βουλὴν καὶ ἐδίδαξα, ὡς χρὴ ζητοῦντας ἐπεξελθεῖν τῷ πράγματι. καὶ νῦν δίκην διδόασιν ὧν ἠδικήκασιν* e. q. s. — Non minus constat omnia, quae ad ornandas instruendasque pertinent naves longas, in custodia fuisse quingent. senatus, quamobrem in hac quoque causa *εἰσαγγελίαι* apud eum intendebantur cf. Boeckh. Seeurk. nr. XVIb v. 152; quarum exemplum reperitur in Demosth. quae fertur or. c. Euerg. et Mnesib. § 43, ubi senatores deliberasse narrantur, utrum reum intra terminos coercitioni suae positos *ἐπιβολῇ* multarent, an delegarent ad iuratorum iudicum iudicium. Neque enim spectavit haec *εἰσαγγελία* ad ipsa illa verbera, quibus accusator a Theophemo se affectum esse contendit, sed vera ac iusta huius accusationis causa haec fuit, quod Theophemus ne armamenta traderet, semel atque iterum recusaverat; instituta est haec actio Theophemo *ὡς ἀδικοῦντι καὶ διακωλύοντι τὸν ἀπόστολον, διότι τὰ σκεύη οὐκ ἀπεδίδου καὶ τὰ ἐνέχυρα ἀφείλετο* cf. § 42. De vexatione autem, quamquam etiam in hac causa eam commemoravit, accusator postea propriam litem Theophemo intendit, nimirum apud magistratum eum, qui *αἰκίας* habebat iurisdictionem cf. § 45: *ὡς οὐδενὶ ἤθελεν ἐπιτρέπειν ὁ Θεόφημος περὶ τῶν πληγῶν, ὧν τότ' ἔλαβον ὑπ' αὐτοῦ, προσεκαλεσάμην αὐτὸν καὶ ἔλαχον αὐτῷ δίκην αἰκίας.* — Multo denique latiorem huiusmodi *ἐπιβολῆς* ambitum

terminavit Poll. VIII, 51, qui in unaquaque εἰσαγγελίᾳ huic coercitioni locum fuisse tradidit. Talem autem actionem instrui potuisse in eos, quicunque aliquid deliquissent, quod ne fieret, ipsis legibus non esset sancitum cf. Hyper. pr. Euxen. col. 20—23. 39. Semper igitur ad certam litem pertinet, quae hoc modo a quingentis imponitur multa.

Paulo aliter iudicandum est de areopagitarum senatu. Nam etsi ipse quoque, praeterquam quod hoc iure multandi inde a Pericle usque ad Euclidem certe non utebatur, ea sola ἐπιβολαῖς vindicat delicta, quae referri possunt aliquo modo ad ipsius auctoritatem, tamen hanc multationem coniunctam esse cum certa quadam actione non opus est. Immo si quis deprehenditur in ipso delicto aut aliam ob causam de re ipsa dubitari non potest, continuo areopagus sua potestate multam expetit, etiamsi nullus est accusator. Hoc tum praecipue factum est, cum in magistratum aliquem areopagitae eo iure animadverterunt, quo iis commissa erat universa magistratuum custodia. Ut apud Apoll. c. Neaer. § 80 Theogenes ille ἄρχων βασιλεύς, nulla accusatione, ab areopago multa paene affectus est propterea, quod peccaverat aliquid in administrandis negotiis. Quod quidem delictum quamquam in eo versabatur, quod sacra maculari ab uxore siverat — qua in causa per se locum habuisset areopagi iurisdictio — tamen ex tota narratione facile intellegitur, irrogaturum fuisse hanc multam areopagitarum senatum, non ut iudicium in tali causa legitimum, sed ut magistratum eum, qui custodiret omnia fungenda munera. — Et quae praeterea inveniuntur areopagi multationis exempla, ea etiam ipsa ita sunt comparata, ut nullo modo cogamur, iusta accusatione adornata areopagum hoc modo vindicasse statuere. Fieri sane potuit, ut areopagitae certiores facti de peccato non manifesto noxium ad se evocarent, ut de re sibi persuaderent. Verum multatum est ab areopago in tali causa, non tamquam a iudicibus, quibus a legitimo magistratu res aliqua diiudicanda delata est, sed magistratuum instar, qui nullo iudicio sua sola auctoritate animadvertunt in noxium. Atque hoc optime congruit cum huius multae natura, dummodo ea de re, quae areopagi spectat ad potestatem, agatur. — Velut huiusmodi multa ab areopago dicitur,

cum illo fungatur munere, quo bonos mores disciplinamque publicam tueri et priore et posteriore tempore iussus fuit; qua de re, quod ad prius attinet tempus, satis in universum Isocr. Areop. § 46 disputat: *τοὺς ἀκοσμοῦντας ἀνῆγον εἰς τὴν βουλήν. ἡ δὲ τοὺς μὲν ἐνουθέτει, τοῖς δ' ἠπείλει, τοὺς δ' ὡς προσῆκεν ἐκόλαζεν.* — Singillatim hanc potestatem ad inertiae crimen revocat Plut. Sol. c. 22: *τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἔταξεν ἐπισκοπεῖν, ὅθεν ἕκαστος ἔχει τὰ ἐπιτήδεια καὶ τοὺς ἀργοὺς κολάζειν*, quocum Phanodemus et Philochorus uterque in Attica sua historia consenserunt teste quidem Athenaeo p. 168 a: *ὅτι δὲ τοὺς ἀσώτους καὶ τοὺς μὴ ἔκ τινος περιουσίας ζῶντας τὸ παλαιὸν ἀνεκαλοῦντο οἱ ἀρεοπαγῖται καὶ ἐκόλαζον, ἱστόρησαν Φανόδημος καὶ Φιλόχορος ἄλλοι τε πλείους.* — Atque tale delictum posteriore quoque tempore hac ratione a senatu illo vindicatum eodemque modo etiam nimiam luxuriam dissolutamque vivendi licentiam ab areopago coercitam esse, pluribus, quae apud Athen. p. 168 a et 167 e leguntur, exemplis probatur. — Neque alius generis ea est multa, quam petivisse areopagitae putandi sunt ii, quos 'damnavisse puerum coturnicum oculos eruentem' Quint. V, 9, 13 nescio quo auctore, tamen per se recte tradidit. Nam hoc quoque delictum ita fuit comparatum, ut qui commiserat, videri posset contra publicam disciplinam peccasse. — Sed prorsus recedere ab harum multarum similitudine eam concedendum est poenam, quam in Demosth. constitutam esse, ex Aesch. de fals. leg. § 93 discimus: *ὑπέμεινας τὴν ἐπιβολὴν τῆς βουλῆς τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου οὐκ ἐπεξιὼν τῇ τοῦ τραύματος γραφῇ, ἣν ἐγράψω Δημομέλην τὸν Παιανιᾶ, ἀνεψιὸν ὄντα, ἐπιτεμὼν τὴν σαυτοῦ κεφαλήν.* Quo loco quae attingitur causa haec est: Demosth. Demomeli fratri patrueli, a quo tutorum litibus implicatus in capite vulnus acceperat, apud areopagum *τραύματος ἐκ προνοίας γραφὴν* instituit cf. Aesch. c. Ctes. § 212. Postea autem hac accusatione Demomelis precibus commotus destitit, quamobrem ab areopagitis affectus est *ἐπιβολῇ*. Huius poenae qualis fuerit natura propria, rectius fortasse alio loco exponamus. In praesens satis est commonere, etiam hanc multam areopagitas imposuisse in sua exercenda iurisdictione. Itaque respectis omnibus, quae exstant, exemplis censendum est, areo-

pagitarum senatum hac ratione potuisse persequi omnia ea peccata, quae ipsius iurisdictione continerentur.

Plane eodem modo res se habet, quod ad singulos magistratus attinet eos, qui huius generis dixisse multas narrantur, qui puniverunt *τοὺς ἁμαρτάνοντας:* lex rhet. Cant. p. 669, 13. Ipsi quoque sui tantum iuris vindicabant peccata, in eos tantum animadvertebant tali multa, qui si quidem maiorem poenam, quam quae irrogari posset a magistratu, commeruisse videbantur, ipsis causa cognita adducendi erant in iudicium. — Velut primus ille archon, cui omnium earum rerum, quae ad iura pertinent familiaria, cura delata est, una eademque lege iubetur, orbis viduisque consulere et, si quis peccaverit in illis, multas expetere: Demosth. c. Macart. § 75; quo ex loco Suid. primam, quam *ἐπιβολῆς* affert, causam hausisse videtur: *ὁριζομένη ζημία τοῖς ἁλοῦσιν ἐξημαρτηκέναι περὶ ὀρφανοὺς ἐπιτρόποις.* Ceterum ex verbo illo *ἁλοῦσιν* cernitur, Suid. quoque rem ita sibi animo effinxisse, ut iustam quasi litem instruendam fuisse censeret ab archonte, priusquam statui posset haec poena. — Ab eodem magistratu dicta etiam ea intellegenda est multa, quam choregis iis, qui peregrinos in scenam producerent saltatores, propositam fuisse scripsit Plut. Phoc. c. 30: *νόμου γὰρ ὄντος Ἀθήνησι τότε, μὴ χορεύειν ξένον ἢ χιλίας ἀποτίνειν τὸν χορηγὸν* e. q. s. Hanc enim poenam ab archonte eo irrogandam fuisse patet, qui agendis praeerat festis illis diebus, quibus peregrini non debebant saltare in choris; qui moderabatur universa ludorum sollemnia. Hunc autem primum fuisse archontem ex schol. ad Aristoph. Plut. v. 954 efficitur, quo legem illam ad urbana modo Dionysia celebranda spectasse docemur: *οὐκ ἐξῆν δὲ ξένον χορεύειν ἐν τῷ ἀστικῷ χορῷ· ἐν δὲ τῷ Ληναίῳ ἐξῆν.* — Commemoranda denique hic etiam alia est multa, quae ipsa quoque choregis imposita est ab archonte primo, de qua Demosth. c. Mid. § 56: *βουλόμενοι μηδέν' ἀγωνίζεσθαι ξένον οὐκ ἐδώκατε ἁπλῶς τῶν χορηγῶν οὐδενὶ προσκαλέσαντι τοὺς χορευτὰς σκοπεῖν, ἀλλ' ἐὰν μὲν καλέσῃ, πεντήκοντα δραχμὰς, ἐὰν δὲ καθίζεσθαι κελεύσῃ, χιλίας ἀποτίνειν ἐτάξατε* cf. [Andoc.] c. Alc. § 20. Videmus igitur, quamquam peregrini vetiti erant in choro adesse, ipsis festis diebus ne quis choregus

peregrinum quem e choro removeret, lege fuisse sancitum; qua lege neglecta certae illae poenae nimirum ab archonte, qui Dionysiis celebrandis praeerat, dictae sunt.

Quod ad alterum archontem attinet, supra iam demonstravimus, ab eo irrogatam illam ἐπιβολὴν putandam esse, quam Andocides propter impietatem commeruisse narratur in Lys. quae fertur c. Andoc. or. § 21. — Eodemque modo ea quoque expetita est multa, quam Poll. VIII, 101 iis lege constitutam fuisse tradidit, qui Pelasgicum illud sacrum colerent; qua re item quin pietas erga deos violata sit, non est dubium. Apparet igitur in utraque hac causa, ut in qua religio quaedam intercederet, regis coercitionem prorsus fuisse legitimam; regis, cuius ad iurisdictionem referenda sunt omnia, quaecunque impie nefarieque in deos commissa sunt.

Neque alio iudicio utimur de ceteris, quae tertii huius ἐπιβολῆς generis reperiuntur, exemplis, quorum complurium iam in priore capite mentionem fecimus. Ut demonstravimus, agoranomos (cf. Xen. conv. II, 20) praefectosque annonae (cf. Lys. κατ. τ. σιτοπ. § 16) propter leviora delicta multas potuisse statuere; eo scilicet iure, quo disciplinam publicam in rerum venalium foro servare et frumentariorum negotiatorum coercere licentiam iussi sunt. — Atque etiam de gynaeconomis iam dictum est, quorum coercitioni paulo artiores fines Poll. VIII, 112 constituit, qui τὰς ἀκοσμούσας modo punitas esse ab his magistratibus scripsit. Nam sicut horum gynaeconomorum munus in universum spectavit ad refrenandam civium nimiam luxuriam (cf. Athen. p. 245), ita etiam puniendi potestas latius sine dubio patuit. — Postremo loco ea coercitio breviter perstringenda est, quam Demosthenis murorum curatoris exemplo (cf. Aesch. c. Ctes. § 27) nixi omnibus publicorum operum magistris concessam fuisse iudicavimus. Haec multandi potestas quo referenda sit, etsi nullo modo significatur, tamen facile est ad intellegendum, pertinuisse eam non magis ad primum alterumve, quam ad tertium, quod ἐπιβολῆς distinximus, genus; cum praesertim eiusdem illius Demosth. exemplo ostendatur, propriam iurisdictionem fuisse penes tales curatores publicos. Itaque omnibus his exemplis confirmatur, ea delicta ἐπιβολῇ vindicata

esse a magistratu, quae ad ipsius ius ac potestatem spectarent, quorum si noxius maiore poena dignus videretur, ipsi apud iudices instruenda esset actio.

Quod etsi ita est, tamen ne quis arbitretur cavendum est, non licuisse tertii huius ἐπιβολῆς generis multam imponere nisi magistratibus iis, quorum ea esset iurisdictionis potestas, ut noxium graviore poena commissa in iudicium quoque adducerent. Olearum enim illi curatores, de quibus supra iam disseruimus, suis propriis iudiciis certe non praeerant. Tamen quae in oleas levius erant peccata, multis persequebantur sua auctoritate (cf. Lys. de olea § 25); quod quidem prorsus e more accidit, cum sui muneris rationibus tali multatione consulerent. Nam ea potissimum est huius poenae natura, ut iisdem finibus terminetur, quibus continentur delati muneris officia.

Quod quam verum sit, certo testimonio mirum in modum probatur. Vidimus enim supra, quo iure multandi archon primus uteretur in choregos eos, qui peregrinum aliquem aut in suo choro adesse paterentur, aut ex alterius choro ipso in theatro removerent; non explicavimus, quanam ratione in ipsos eos animadversum sit, qui peregrini in chorum irruperant. Qua de re primum quidem, cum recordamur choregis ipsis in eos, qui officio suo non satisfacerent, choreutas certam permissam fuisse coercitionem (cf. Antiph. de chor. § 11), in eam sententiam adducimur, ut eosdem choregos etiam in eos multis vindicasse putemus, qui peregrini in antichoregi choro saltarent. Hoc autem et naturae huius multae repugnat nec cum iis consentit, quae apud Demosth. c. Mid. § 60 hoc modo leguntur: *πολλῶν χορηγῶν φιλονεικησάντων οὐδεὶς ... ἐτόλμησε τοῦτον ἐξαγαγεῖν οὐδὲ κωλῦσαι· διὰ γὰρ τὸ δεῖν αὐτὸν ἐπιλαβόμενον τῇ χειρὶ τοῦτο ποιῆσαι καὶ μὴ προσκαλέσασθαι πρὸς τὸν ἄρχοντα ἐξεῖναι, ὥσπερ ἂν εἴ ξένον τις ἐξαγαγεῖν ἐβούλετο, ἅπας τις ὤκνει.* His enim verbis docemur, non sua ipsorum auctoritate a peregrinis, qui tale quid commisissent, poenas petivisse choregos, sed ad archontem eum, qui ludis praeerat, rem reiecisse, nimirum propterea, quod ipsi omnino nullam haberent iurisdictionem in eos, qui in alterius choro versarentur. Quod quidem in ipsis illis §§ 56 sq. ea quoque re designari iure quis moneat,

quod choregi noxium semper *καλεῖν*, non *καλεῖσθαι* dicantur cf. § 56: *οὐκ ἐδώκατε ἁπλῶς τῶν χορηγῶν οὐδενὶ προσκαλέσαντι τοὺς χορευτὰς σκοπεῖν, ἀλλ' ἐὰν μὲν καλέσῃ* e. q. s. et § 57: *τὸν μὲν χορευτὴν οὐδ' ὁ προσκαλέσας κατὰ τὸν νόμον ἀζήμιος ἔσται* e. q. s., quamquam in hac re scriptores sibi non constant cf. Demosth. adv. Boeot. de nom. § 8. Lys. c. Alc. II § 5.

Sed restant nonnullae eiusdem huius generis multae commemorandae, quae etsi ipsae quoque propter certa quaedam delicta, quae ne fiant legibus cautum est, statuuntur, tamen paulo aliter, ac de quibus adhuc disputavimus, comparatae sunt. Vindicatur enim his multis non unum idemque peccatum ab uno eodemque magistratu, ab eo scilicet, cuius ad provinciam pertinet, sed idem delictum ad plurium magistratuum auctoritatem spectans coerceri potest a pluribus; ut in universum loquamur. Nam in singulis causis etiam hic unius sane magistratus intercedit potestas.

Hoc modo iudicandum est de ea poena, quam lege definitam fuisse demonstravimus, si quis testimonium apud iudices dicere sollemniter iussus hoc detrectaret officium. Perspicitur enim cum ex ipsis verbis Poll. VIII, 37: *ἔδει δὲ αὐτὸν ἢ μαρτυρεῖν ἢ ἐξομόσασθαι . . . ἢ χιλίας ἀποτίνειν*, tum ex exemplo, quod huius multae apud Aesch. c. Tim. § 46 invenitur: *ἐὰν δὲ προαιρῆται ἐκκλητευθῆναι μᾶλλον ἢ τἀληθῆ μαρτυρεῖν, ὑμεῖς τὸ ὅλον πρᾶγμα συνήσετε. εἰ γὰρ ὁ μὲν πράξας αἰσχυνεῖται καὶ προαιρήσεται χιλίας μᾶλλον δραχμὰς ἀποτῖσαι τῷ δημοσίῳ, ὥστε μὴ δεῖξαι τὸ πρόσωπον τὸ ἑαυτοῦ ὑμῖν* e. q. s., hanc poenam non eo consilio, quo proposita sane fuit legibus, ut quis testis esse cogeretur, expetitam esse. Immo vero si quis ad testimonium vocatus diem non obierat, omisso illo testimonio res est diiudicata. Postea autem is, qui recusaverat testimonium debitum, quia ab officio omnium civium communi discessisset, certa illa multa lege constituta affectus est; quae quidem multa dici vix potuit, nisi a magistratu, idque ab eo, qui causae, quam ad instruendam opus fuit illo testimonio, iurisdictionem habuit. Huiusmodi igitur poena ab unoquoque, qui iudicio praeerat, irrogari potuit magistratu.

Minus late sine dubio patuerunt aliae duae multae, quae

tamen ipsae quoque poterant a pluribus magistratibus statui; de quibus in Demosth. quae fertur or. c. Theocr. § 6 traduntur haece; *ὁ νόμος οὑτοσὶ τοῖς προαιρουμένοις ἢ γράφεσθαι γραφὰς ἢ φαίνειν ἢ ἄλλο τι ποιεῖν τῶν ἐν τῷ νόμῳ τούτῳ γεγραμμένων προλέγει διαρρήδην, ἐφ' οἷς ἕκαστόν ἐστι τούτων ποιητέον. ἔστι δὲ ταῦτα, ὥσπερ ἠκούσατ' ἐξ αὐτοῦ τοῦ νόμου, ἐὰν ἐπεξιών τις μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, χιλίας ἀποτίνειν, κἂν μὴ ἐπεξίῃ, χιλίας ἑτέρας.* His verbis primum docemur, in certis quibusdam causis accusatorem, nisi quintam suffragiorum partem acciperet, mille drachmis multatum esse. Atque testimoniis permultis, quae quantum video omnia collegit Boeckh. Staatsh. I p. 499 et 495 c, demonstrari potest, hoc esse factum non solum, si *γραφὴ* vel *φάσις* intenderetur, sed una certa *εἰσαγγελίᾳ* omissa in omnibus, quaecunque institui possent, causis publicis; qui maior huius poenae ambitus etiam hoc loco significatur verbis illis: *ἢ ἄλλο τι ποιεῖν τῶν ἐν τῷ νόμῳ τούτῳ γεγραμμένων.* Sed quomodo imposita sit talis multa, hoc inter tot locos ne uno quidem denotatur. Tamen mea quidem sententia dubitari non potest, quin idem ille magistratus, qui causam instruxerat, si in diribendis tabellis accusatorem ne quintam quidem suffragiorum partem tulisse invenerat, renuntiato iudicio legitimam illam mille drachm. multam ab accusatore commissam esse dixerit eamque in exactorum albo inscribendam curaverit. Constat enim exactores non affuisse in ipso iudicio; atque de iudicum separato suffragio cogitari omnino non potest idcirco, quia suffragia ferri non possunt, nisi duas in partes diiudicare licet.

Deinde autem eadem illa lex, quae c. Theocr. profertur, iussit, mille drachm. poena eum quoque affici, qui actionem iam adornatam desereret cf. § 10. 12. 22. Cuius multae petitae etsi nullum invenitur certum testimonium, tamen ea ipsa ratione, qua haec poena cum priore altera in lege illa coniuncta fuisse videtur, satis sine dubio comprobatur, etiam hanc ex lege quidem ad omnes pertinuisse causas publicas. Et ne hoc quidem in dubium vocari potest, quin haec quoque multa constituenda fuerit ab archonte eo, penes quem causae, quam deposuerat accusator, iurisdictio fuit. Nam ex or. ill. c. Theocr.

§ 10: *ὡς εἰς τὴν ἀνάκρισιν καλούμενος οὐχ ὑπήκουσεν οὐδ' ἐπεξῆλθεν, ἀκηκόατε μαρτυρούντων τούτων, οὓς εἰδέναι μάλιστα προσῆκεν. ὅτι δ' οὐ ταῖς χιλίαις μόνον ἔνοχός ἐστιν* e. q. s., facile cognoscitur, huic poenae tum iam fuisse locum, cum non obiret accusator vadimonium ad cognitionem (*ἀνάκρισιν*) instituendam factum; quo quidem tempore praeter ipsum archontem nemo, qui puniendi iure uteretur, vel notitiam talis causae habuit. Itaque recte censemus, etiam tum, cum ad iudices res pervenisset, dicendam fuisse hanc multam solo a magistratu, qui iudicio praeesset. Hac igitur ratione ex lege illa in eos animadvertendum fuit, qui a causa publica libello ab archonte iam accepto recesserant. — Verum tamen plura inveniuntur exempla, quorum partem maiorem Hudtwalck. p. 162—165 attulit, in quibus talis poena, quamvis commissa, videtur non esse expetita; ac ne unum quidem exstat, quo reapse irrogatam esse hanc multam confirmetur. Nam etiam quod attinet ad Theocr., ex ipsis accusatoris verbis clare perspicitur, hanc mille drachm. multam, quam commeruisse Theocr. constat, accusatorio libello deleto a magistratibus iis, qui *φάσιν* illam acceperant, nec dictam nec traditam esse exactoribus cf. § 8 sqq.; quod tamen fieri debuit, quamobrem illi magistratus inviti contra se ipsos testimonium dixisse narrantur § 26: *ἔτι δὲ τῶν τοῦ ἐμπορίου ἐπιμελητῶν μόλις μὲν, ἀλλ' οὖν ταὐτὰ τούτοις μεμαρτυρηκότων.* Hac re accidit, ut accusatori pluribus exponendum esset, Theocr. quamvis non relatum inter debitores publicos, tamen in numero eorum esse habendum cf. § 48—52, in quo quidem loco totius causae quasi cardinem verti iudico. Quae cum ita sint, cum Hudtwalck. sumendum est, poenam illam tempore magis magisque abisse in desuetudinem idque in hunc modum, ut ne crimini quidem duceretur magistratibus, quod legem illam neglegerent. — Atque hunc magistratuum morem si memoria tenebimus, illius quoque multae naturam intellegemus, qua Demosthenem, quia *τραύματος ἐκ προνοίας γραφὴν* deposuisset, ab areopago affectum esse vidimus. Patet enim, cum de areopago ipso verba fiant, certam diem, qua de causa ageretur apud areopagitas iudices, constitutam iam fuisse ab archonte rege, cum Demosth. ab

accusatione recederet. Ea autem insolentia, qua Demosth. causa tum demum deserta ad vadimonium non venit, maior visa est areopagitis, quam ut ex nota magistratuum consuetudine non vindicaretur. Itaque sua auctoritate Demostheni imposuerunt multam, quae quanta fuerit divinari non potest. — Monendum est denique, hanc mille drachm. multam utramque, de qua modo disseruimus, ab iis solis irrogari potuisse archontibus, quorum iurisdictio in causis publicis intercederet.

Paulo maiorem contra ea multa habuit ambitum, quam, si quis conviciis alterum incesseret locis quibusdam sanctis, Solonis lege propositam fuisse Plut. Sol. c. 21 testis est: *ζῶντα δὲ κακῶς λέγειν ἐκώλυσε πρὸς ἱεροῖς καὶ δικαστηρίοις καὶ ἀρχείοις καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων· ἢ τρεῖς δραχμὰς τῷ ἰδιώτῃ, δύο δ' ἄλλας ἀποτίνειν εἰς τὸ δημόσιον ἔταξε.* Nemo enim negaverit, dictam esse hanc quoque multam a magistratu quodam; ab eo scilicet, cuius auctoritas legitima esset iis locis, quorum sanctitas hac lege defenditur. Velut apud Plat. in legg. 935 b prorsus similem poenam statuere iubetur *ὁ τούτων ἄρχων: ὧν δὴ χάριν ἐν μὲν ἱερῷ τὸ παράπαν μηδεὶς τοιοῦτον φθέγξηται μηδέποτε μηδὲν μηδ' ἕν τισι δημοτελέσι θυσίαις, μηδ' αὖ ἐν ἄθλοις μηδ' ἐν ἀγορᾷ μηδ' ἐν δικαστηρίῳ μηδ' ἐν ξυλλόγῳ κοινῷ μηδενὶ, κολαζέτω δὲ ὁ τούτων ἄρχων ἕκαστον ἀνατί.* In tali igitur causa apud Athenienses hac coercitione unusquisque usus est magistratus, qui sacris ludisque faciendis electus erat vel suum habebat consistorium vel omnino suo iudicio praeerat.

Atque etiam exemplum expetitae huius multae demonstrari potest in Lys. or. pr. mil. scripta; qua in or. de qua agitur causa, haec est. Polyaenus miles stipendiis factis in patriam reversus atque iterum inter milites conscriptus expostulavit de hac re cum imperatore, nimirum eo, qui *στρατηγὸς ὁ ἐπὶ τὰ ὅπλα* vocatur. Ab illo reiectus, in publico apud tabernam argentariam cum etiam alias sibi comparari insidias cognosset, ad verborum contumelias descendit; quamobrem ab obiurgato illo imperatore postea *ἐπιβολῇ* affectus est. Nam imperatorem ipsum constituisse hanc multam eo, quod puniens magistratus *ἄρχοντος* nomine designatur, refelli non potest,

quoniam saepius apud Lys. ii, qui modo ἄρχοντες appellati sunt, perpaulo post, interdum in eadem § imperatorum munere functi esse narrantur cf. Lys. c. Alc. I § 21. II § 5. pr. Mant. § 16. c. Ergocl. § 5. 15. Haec igitur causa quin talis fuerit, non est dubium. Sed quo iure Polyaenus ab imperatore multatus sit, et quae intercesserit ratio inter hanc multam ceterasque iniuriarum poenas, potissimum Plutarcheam illam legem Solonis, de hac re ambigitur.

Neque certum iudicium fieri potest, nisi reliquae quoque verborum iniuriarum actiones respiciuntur, de quibus C. Fr. Hermannus in 'symbolis ad doctrinam iuris Attici de iniuriarum actionibus' recte haec docuit. Voluerunt Athenienses ad multationem interesse aliquid inter leviorem obiurgationem, quae proprio suo nomine λοιδορία dici solet, et graviorem maledictionem, quae certis circumscripta vocibus contumeliosis, κακηγορίας nomine notatur; quamquam etiam de illa uno loco (Plut. Sol. c. 21) κακῶς λέγειν legimus, et ad hanc ipsam quoque uno loco (Demosth. c. Con. § 17) verbum pertinet, quod est λοιδορεῖν. In universum autem haec distinctio servatur, atque invenimus, si quis falso (cf. Lys. c. Theomn. § 30. Demosth. c. Aristocr. § 50) verbis vere probrosis (ἀπορρήτοις) usus esset adversus privatum hominem, ei κακηγορίας, quae vocatur, quingentarum drachm. actionem intentam (cf. Lys. c. Theomn. § 12. Isocr. c. Lochit. § 3. Demosth. c. Mid. § 32. 79. 81), sin autem magistratum quis hoc modo laesisset, eum capitis deminutione affectum esse (cf. Demosth. c. Mid. § 32 sq.). Quod autem attinet ad obiurgationem eam, quae verbis contumeliosis caret, sola traditur lex illa Plutarchea, qua, quinque drachm. multa proposita, tantum πρὸς ἱεροῖς καὶ δικαστηρίοις καὶ ἀρχείοις καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων ne quis immodeste et petulanter iurgiis lacesseretur, cautum est. Quibus ipsis verbis et, quae sequuntur, hisce: τὸ γὰρ μηδαμοῦ κρατεῖν ὀργῆς ἀπαίδευτον καὶ ἀκόλαστον· τὸ δὲ πανταχοῦ χαλεπὸν, ἐνίοις δὲ ἀδύνατον· δεῖ δὲ πρὸς τὸ δυνατὸν γράφεσθαι τὸν νόμον, εἰ βούλεται χρησίμως ὀλίγους, ἀλλὰ μὴ πολλοὺς ἀχρήστως κολάζειν, et universa Lys. c. Theomn. or. satis probatur, λοιδορίαν, sine ignominia verbisque probrosis privato homini factam, sine

poena fuisse apud Athenienses, nisi quis ad eam intemperantiam processisset, ut violaret hac ratione loci cuiusdam sanctitatem. Distribuuntur igitur poenae in hunc modum:

	a. *λοιδορία:*	b. *κακηγορία:*
adv. privat. homin. in universum:	sine poena	500 drachm. *δίκη κακηγορ.*
adv. privat. homin. locis sanctis:	5 drachm.	
adv. magistrat. in universum:	?	*ἀτιμία καθάπαξ.*
adv. magistrat. locis sanctis:	?	

Qua in comparatione quod desideramus, quaenam ab eo petita sit poena, qui magistratum *λοιδορίᾳ* incesseret, ad hoc ipsum spectare Lys. illam pr. mil. or. luce clarius est. Atque cum Herm. consentio, ex tota hac or. hoc certe colligendum esse, magistratum quoque 'ita demum *λοιδορίᾳ* illa laesum existimatum esse, si coram in consistorio i. e. loco sancto obiurgatus esset'. Sed quod Herm. propria lege, eaque diversa a Plutarchea illa Solonis, sancitum fuisse putat, ut quem quisque violasset tali loco insolenter expostulando magistratum, ab eo libero arbitrio multaretur, hoc persuadere mihi non potui. — Talis enim coercitio, qualem H. voluit, quod ad ipsum locum attinet eum, quem inter ceteras iniuriarum actiones teneat, non posse percipi mihi videtur. Nam si *λοιδορία* magistratui illata, proinde ac si quis privatum hominem hoc modo laesisset, legibus non vindicata est, nisi quis ea intemperantia usus erat, quae coercenda videretur propter offensam publicam, ut loco sancto tale quid commisisset; leges voluisse concedendum est, non magistratum ipso munere tutum esse a verbis obiurgatoriis — alio enim loco magistratui facta haec iniuria poena digna non videbatur — sed locorum quorundam sanctitatem, etiam quod ad magistratum attinet hoc modo offensum, prohiberi a nimia illa licentia; laesi non tam magistratus, quam loci in hac causa fuisse rationem. Si autem res ita se habet, non video, cur violatam locorum illorum sanctitatem putemus animadversam esse graviore poena —

quod ut fieri posset, propriam illam legem necessariam fuisse H. censet — si quis magistratum, quam si alium quem hominem obiurgasset; quoniam in universum, qui in magistratum invehitur, non magis punitur, quam qui privatum aliquem increpat. — Huc accedit, quod de lege ea, quam H. aliam ac Solonis fuisse voluit, haec verba leguntur (Lys. pr. mil. § 10): *ὁ δὲ νόμος τοὺς ἐντὸς πλημμελοῦντας ἀγορεύει τὴν ζημίαν ὀφείλειν*, in quibus illud *τὴν ζημίαν ὀφείλειν* non ita dictum est, ut de magistratu cogitari possit eo, qui suo ipsius iudicio multam illam aestimaverit, cuius 'arbitrio permissa fuerit illa multa'. Immo his verbis ea sola poena notatur, quae certo delicto proposita lege ipsa iam definita est. — Quibus rebus adducor, ut censeam, omnino nullam fuisse legem propriam, qua, ne quis magistratus *λοιδορίᾳ* afficeretur loco sancto, cautum esset; sed ad hanc quoque causam Solonis illam quinque drachm. multam pertinuisse. Quae opinio verbis confirmari mihi videtur ipsius Plutarchi, qui postquam de mortuorum maledictione disseruit, magistratibus prorsus neglectis ad obiurgatum unumquemque vivum hominem hanc quinque drachm. multam spectasse scripsit. Itaque cum ne H. quidem in locum legis illius Solonis aliam subrogatam fuisse illo tempore sumpserit, fieri non potest, quin ea lex, de qua miles apud Lys. inde a § 8 disputat, eadem fuerit, quam Solonis apud Plut. habemus servatam; quae in universum, si quis ab obiurgando non temperaverit *πρὸς ἱεροῖς καὶ δικαστηρίοις καὶ ἀρχείοις καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων*, certam illam multam minatur. — Quocum mirum in modum ea verba consentiunt, quibus apud Lys. ipsius legis recitationem Polyaenus excipit cf. § 9 et 10. Nam his ipsis §§, ubi pluribus de legis illius sententia agitur ea, qua sola haec lex a Solonis distingueretur, condicione nullo modo carere possumus; ea, qua haec multa quasi restringitur ad eas iniurias, quibus magistratus aliquis afficiebatur. Tamen nihil de magistratibus traditur et, sola loci cuiusdam sanctitate hanc multam effici, his dicitur verbis: *Τοῦ μὲν νόμου διαρρήδην ἀγορεύοντος τοὺς ἐν τῷ συνεδρίῳ**) *λοιδοροῦντας ζημιοῦν ἀκηκόατε*, et postea: *ὁ δὲ νόμος*

*) Hoc vocabulo idem significari quod ἀρχείου voce, eo cernitur, quod

τοὺς ἐντὸς πλημμελοῦντας ἀγορεύει τὴν ζημίαν ὀφείλειν. Itaque quae lex laudatur § 8, eam ipsam fuisse illam Solonis neque aliam valuisse illo tempore, qua propria vindicaretur λοιδορία magistratui loco sancto illata, iure contendisse mihi videor. — Nam quae huic sententiae repugnant, verba § 6 haece: τοῦ νόμου ἀπαγορεύοντος ἐάν τις ἀρχὴν ἐν συνεδρίῳ λοιδορῇ, quae ab eo, quod hac lege sancitum fuisse dicitur § 9 sq., plane abhorrent; in his illud ἀρχὴν errore positum esse mihi videtur ab illo, qui hoc genuinae Lys. or. summarium composuit. Quia enim casu et fortuito accidit, ut is, qui hoc loco in consistorio obiurgatus est, seu potius non est, publico fungeretur munere, facile fieri potuit, ut excerptor, cui lex ipsa non erat in manibus, hoc magistratus violati exemplum in ipsam legem, quam non recte perspexerat, quasi inferret; ut hoc exemplo in eum induceretur errorem, ut legem illam nominatim ad magistratus spectasse censeret. Neque alio modo iudicandum est de § 16, ubi is, qui hoc breviarium excerpsit, longius in errorem iam inveteratum progressus, etiam haec scripsit: ζημιώσαντες μὲν ὡς τὴν ἀρχὴν λοιδοροῦντα; quibus verbis qui scrupulus inicitur, ne Hermannum quidem si sequeremur, eximi posset. Nam omnino λοιδορίαν se fecisse magistratui, miles haudquaquam negat. Immo totum pondus in eo est positum, quod haec λοιδορία, nisi loco sancto facta, lege non vindicatur. — Una igitur de obiurgatione fuit lex apud Athenienses, quae in universum certis quibusdam locis convicia fieri vetuit. Qua quidem lege quae statuta est multa, ab eo dicta intellegenda est magistratu, cuius ad potestatem servanda pertinuit loci cuiusque sanctitas.

Itaque haec quoque poena plane consentit cum ἐπιβολῆς vi ac natura, quae qualis fuerit, in hunc fere modum breviter comprehendi potest: Ipsa huius multae quasi indole efficitur,

---

de se ipso praedicat miles § 9: ἐγὼ δ' ὅτι μὲν οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ ἀρχεῖον, compar. c. 10: εἰ γὰρ φανερός εἰμι μὴ ἐλθὼν εἰς τὸ συνέδριον cf. [Demosth.] c. Theocr. § 8. Apoll. c. Neaer. § 83. Eligitur autem omnino ipsum consistorium ex sanctis illis, quae a Plut. appellantur, locis ideo, quod in hac causa de alio loco cogitari vix potuit.

ut causa, cur a senatu vel a magistratu imponitur, ex ipsius muneris auctoritate emanet, neque aliud quidquam hac coercitione spectatur, nisi ut magistratibus data quasi compendiaria animadvertendi via sublevetur munerum administratio. Tamen non omnia, quorum iurisdictio penes certum magistratum fuit, delicta sine ullo discrimine hoc modo vindicata sunt. Priusquam autem, quibus terminis circumscriptum fuerit hoc multandi ius, ostendamus, pauca de iis, quos tali multa licuerit affici, disputanda sunt.

III.

Atque in hac quidem re nihil opus est verbis, ut demonstretur, in privatos homines utique omnes locum fuisse huic coercitioni; etiamsi quis suscepisset publicum quoddam negotium, velut architecti ad muros reficiendos instituti, quos a senatu multari potuisse vidimus: Rang. Ant. hell. nr. 771 v. 25. — Minus per se patet, etiam ad eos hanc multam pertinuisse, qui quamquam non veram ac plenam *ἀρχὴν* administrarent, tamen publica auctoritate ipsi quoque uterentur in hunc modum, ut magistratuum personas gererent atque sua potestate multas expeterent. Quo in numero trierarchos fuisse statuimus, quos *ἀτακτοῦντας* in ornandis triremibus quingent. senatus multis ad officium reducere plebiscito quodam iubetur, quod iam laudavimus: Boekh. Seeurk. nr. XIV b v. 14. — Atque ii quoque praefecti publici, qui ad classem mittendam creati *ἀποστολεῖς* appellantur, in trierarchos multis animadvertisse putandi sunt, quoniam, quotiescunque eligebantur, iurisdictionem certe habebant propriam (cf. [Demosth.] c. Euerg. et Mnes. § 26 sq.) et trierarchos etiam in vincula deducere poterant (cf. Demosth. de cor. § 107). — Prorsus similis eius multae est ratio, quam choregis ab archonte irrogatam esse vidimus, si peregrinum quem aut in suo choro saltare sinerent (Plut. Phoc. c. 30), aut ipsis ludis ex alterius choro reicerent (Demosth. c. Mid. § 56). Nam etiam choregis potestatem quandam puniendi concessam fuisse demonstravimus ad Antiph. de chor. § 11. His igitur publicorum officiorum ma-

gistris, quamvis ipsi suam haberent provinciam, ἐπιβολὰς potuisse constitui, non potest negari.

Immo vero etiam concedendum est, spectasse hanc multam veros ad magistratus, quod pluribus exemplis probatur. Atque a senatu utroque hoc modo vindicatum esse in magistratus, hoc minime mirum est, quoniam ex ipsa horum senatuum potestate fluxisse coercitionem talem, facile intellegitur. Nam si areopagitae Theogeni archonti regi, quod in celebrandis Anthesteriis peccatum quoddam fieri passus erat, revera multam illam, quam voluerunt, imposuissent (cf. Apoll. c. Neaer. § 80 sq.), haec poena expetita esset potestate ea, qua areopagus omnium magistratuum administrationem custodire iussus fuit. — Et quingentorum senatus, qui in causa, quam εἰσαγγελίαν nominant, poristas poletas practores quosdam punivit (cf. Antiph. de chor. § 49 sq.), ne ipse quidem hac re sui iuris fines transiit. Distinctis enim verbis tradidit Poll. VIII, 51, ea ipsa de causa, ut magistratuum licentia coerceretur, lege institutam esse εἰσαγγελίας actionem: περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι, ἀδικῶν δέ τις ἁλίσκεται ἢ ἄρχων ἢ ῥήτωρ, εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγγελία δίδοται. Praeter εἰσαγγελίαν autem magistratus adeo non multaverunt quingenti, ut ne imperare quidem iis possent, nisi populus ipse in certa quadam causa dederat hanc potestatem cf. C. I. Att. nr. 32 v. 9. Itaque fieri non potuit, ut nulla εἰσαγγελίᾳ intenta in magistratus multas senatores statuerent, nisi ipso plebiscito hoc iure instructi erant; velut metronomi, ut exemplum afferam, ex ipso illo decreto de ponderibus ac mensuris facto ad officium a quingentis reducti sunt multis: C. I. Gr. nr. 123 v. 16 sqq.

Sed etiam ea reperiuntur ἐπιβολῆς exempla, quibus fieri potuisse docemur, ut magistratus multarentur alter ab altero. Huius generis fuit syndicorum coercitio, quos iure puniendi eam ob causam usos esse cognovimus, ut phylarchos eos, qui equitum album, quod plebiscito iussi erant, non traderent, ad officium redire cogerent: Lys. pr. Mant. § 7. Nam hos phylarchos, ut ab ipso populo suffragiis creatos, propria et principali verbi significatione ἀρχὴν administrasse patet ac, si opus est, iis verbis confirmari potest, quibus hi magistratus cum

ceteris rei militaris praefectis a Demosth. c. Phil. I § 26 coniunguntur: *οὐκ ἐχειροτονεῖτε δ' ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δέκα ταξιάρχους καὶ στρατηγοὺς καὶ φυλάρχους καὶ ἱππάρχους δύο;* — Praeterea inter has poenas magistratibus constitutas numeranda est multa, quam ab iisdem phylarchis propter contumaciam petere potuisse imperatores dicuntur apud Lys. c. Alc. II § 5. Constat igitur, in causis certe nonnullis magistratibus alteri ab altero multas esse irrogatas.

Verum tamen haec multandi potestas non pari modo ad omnes pertinuit magistratus, sed certis terminis circumscripta fuit. Qui quidem termini quales fuerint, ex ipso illo loco, quem postremum Lysiae laudavi, cernitur. Atque verba, quibus res diiudicatur, haec sunt: *ἐχρῆν γὰρ αὐτοὺς, εἴπερ ἀληθῆ λέγουσιν, ἀναγκαλεῖν μὲν Πάμφιλον, ὅτι ἀφελὼν τὸν ἵππον ἱππέως ἀπεστέρει τὴν πόλιν, ἐπιβάλλειν δὲ τῷ φυλάρχῳ, ὅτι ἐξελαύνων Ἀλκιβιάδην ἐκ τῆς φυλῆς ἄκυρον ἐποίει τὴν τούτων τάξιν.* Respondet hoc loco accusator ad ea, quae imperatores Alcibiadis defendendi causa professuros esse opinatur, in hunc modum, ut dicat: imperatores, si revera iussissent, Alcibiadem equo stipendia facere, vindicare certe debuisse in eos, qui imperio illo neglecto Alcibiadem e turma reiecissent. In numero autem eorum, quos in tali causa coerceri opus fuisse censet, accusator praeter phylarchum Pamphilum quendam nominat. Huius Pamphili cur mentio fiat, non intellegitur, nisi eo munere functus est illo tempore, quod aliqua ex parte spectaret ad conscribendum album equestre. Atqui cum de imperatoribus ac phylarchis verba suo loco legantur, hoc non potuit fieri, nisi Pamphilus, quod iam Frohberg. recte divinavit, inter eos fuit praefectos equitum, qui duo numero *ἵππαρχοι* appellati eodem imperio, quo pedestribus copiis strategi, equitibus praeerant. Habemus igitur hoc discrimen servatum: hipparchus, ut sui iuris magistratus, exemto de equitum tabulis Alcibiadis nomine (*ἀφελὼν τὸν ἵππον*) non in magistratum insolentia, sed in rempublicam eo peccavit, quod *ἱππέως ἀπεστέρει τὴν πόλιν*; phylarchus, cuius imperium sine dubio minus est quam strategorum, eo, quod Alcibiadem ex turma expulit, imperatorum auctoritatem laesit, quia *ἄκυρον ἐποίει τὴν τού-*

των τάξιν. Qua re evenit, ut phylarchum multa afficere imperatores possent, hipparchum non possent. Neque enim fugit quemquam, si etiam hipparcho, quamvis eiusdem iuris collegae, poenam imponere potuissent strategi, omnino non opus fuisse illa distinctione Pamphili et phylarchi. — Proinde sic iudicandum est: quamquam magistratuum ius multandi ad eos quoque pertinuit, qui ipsi munere quodam publico fungebantur, locum tamen haec coercitio non habuit, nisi is, qui multam commeruerat, dignitate inferior erat magistratu puniente. Itaque in universum recte schol. ad Aesch. c. Ctes. § 27 *ἐπιβολῆς* vim sic definivit: *οἷον ζημίας καὶ καταδίκας τοῖς ὑπ' αὐτὸν, ὅπερ ἐστὶν ἔργον τῆς ἀρχῆς*, etsi verbis illis *τοῖς ὑπ' αὐτὸν* nimirum etiam privati homines designantur. Ei autem magistratui, qui eadem erat auctoritate, non potuit ab altero multa constitui; quamobrem Pamphilum illum modo evocare ad se debuisse imperatores dicuntur. — Et quod ad Erasinidem ducem ab Archedemo multatum attinet, ne quis existimet, hoc loco ab uno magistratu alteri eiusdem iuris multam esse irrogatam, illud monendum est, Erasinidem tum, cum Athenas reversus hoc modo coerceretur, iam dudum imperium deposuisse cf. Xen. hell. I, 7, 1. Nunquam igitur multaverunt inter se magistratus, nisi alter maiorem habuit auctoritatem altero; nunquam in eum haec poena statuta est, qui in administrandis negotiis prorsus suo sibi consilio usus est.

Quae cum ita fuisse constet, magnum affertur momentum ad Lysiae eum locum diiudicandum, quo Nicomachus ea de causa ab archontibus *ἐπιβολαῖς* affectus esse narratur, ut cogeretur munus suum aliquo modo ad leges conscribendas spectans praestare cf. Lys. c. Nicom. § 3: *ἐπιβαλλόντων δὲ τῶν ἀρχόντων ἐπιβολὰς καὶ εἰσαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον οὐκ ἠθέλησε παραδοῦναι τοὺς νόμους.* Causam enim, de qua agitur, hanc esse mihi persuasi. Quadringent. senatu a publicis negotiis remoto cum antiqua reipublicae forma restitueretur, ii creati sunt, qui leges Solonis maxime perturbatas rescriberent. Hi magistratus, extra ordinem instituti, non sunt confundendi cum illis, qui quarto saeculo, quotiescunque leges commutare placuit, *νομοθέται* vocati mille viri solebant eligi. Quin etiam

verisimillimum est, hos legum scriptores extraordinarios omnino non *νομοθετῶν* nomine significatos, sed *συγγραφέας τῶν νόμων* simili modo appellatos esse ac triginta illi viri post urbem captam legibus conscribendis creati: Xen. hell. II, 3, 2. 11. Nominantur certe *οἱ συγγραφῆς* in populi quodam decreto, quod duobus annis post quadringentos Ol. 92, 3 factum est: C. I. Att. nr. 58; quo ex plebiscito quamvis mutilato hoc tamen cernitur, *συγγραφέας* illos tum non institutos, sed ut omnibus notos magistratus commemoratos esse. Nemo autem percipiat, quo munere functi sint illi *συγγραφῆς*, nisi fuerint iidem atque extraordinarii illi legum scriptores, quorum negotia in conscribendo (*συγγράφειν*) praecipue versabantur. Accedit quod duobus locis ii, qui eodem fere tempore Ol. 92, 2 et 93, 3 rogationes tulerunt, non *εἰπεῖν* vel *γράψαι*, sed *συγγράψαι* dicuntur; quod per se satis mirum facillime intellegitur quomodo factum sit, si *συγγράφειν* illud non ad quoslibet homines privatos, sed ad eos pertinet, qui fuerunt in *συγγραφέων* illorum numero cf. Andoc. de myst. § 96: *ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ. Αἰαντὶς ἐπρυτάνευε, Κλεογένης ἐγραμμάτευε, Βόηθος ἐπεστάτει. τάδε Δημόφαντος συνέγραψεν.* Xen. hell. I, 7, 12: *τὸν δὲ Καλλίξενον προσεκαλέσαντο παράνομα φάσκοντες συγγεγραφέναι Εὐρυπτόλεμός τε ὁ Πεισιάνακτος καὶ ἄλλοι τινές.* Itaque his quoque locis confirmatur, revera *συγγραφέας* appellatos esse illos magistratus.

Sed utut est, hoc certe dubitari non potest, quin viri illi ad leges restituendas electi plane ad suum arbitrium egerint nec cuiquam rationem reddere debuerint administrationis, nisi populo ipsi. Idcirco fieri omnino non potest, ut Nicomachus multa affectus ex ipsis illis magistratibus fuerit. Primum enim talis legum scriptor vel nomotheta a magistratu puniri nullo modo potuit. Deinde vix quisquam demonstret, qui fuerint illi *ἄρχοντες*, qui sui muneris rationibus consulerent, cum Nicomachum *συγγραφέα* vel *νομοθέτην* multis ad officium reducere conarentur. Itaque nihil relinquitur, nisi ut Nicomachus, cuius munus pertinuisse ad leges illas percensendas corrigendasque manifestum est, inter scribas referatur eos, qui, ut literis consignarent leges iam constitutas, scriptoribus attributi

erant. — Hi scribae non *ὑπογραμματεῖς*, quo verbo Nicom. ab accusatoribus despicitur (§ 28), sed *ἀναγραφεῖς* appellati, ab ipso populo creati sunt (§ 29), quamobrem *ἀρχὴν* administrasse dicuntur (§ 2. 3 sqq.) atque munere abdicato ratio iis reddenda fuit (§ 3 sqq.). Tamen quod attinet ad officia, hi *ἀναγραφεῖς* ab aliis scribis non differunt, atque certo plebiscito potest ostendi, hos quoque scribas eo tantum munere functos esse, quo leges sibi traditas transcriberent publiceque proponerent cf. C. I. Att. nr. 61: *τὸν Δράκοντος νόμον τὸν περὶ τοῦ φόνου ἀναγραψάντων οἱ ἀναγραφεῖς τῶν νόμων παραλαβόντες παρὰ τοῦ κατὰ πρυτανείαν γραμματέως τῆς βουλῆς στήλῃ λιθίνῃ καὶ καταθέντων πρόσθεν τῆς στοᾶς τῆς βασιλείας.* Haec non sunt eorum magistratuum munia, qui ad constituendas leges extra ordinem instituti sint. — Atque Nicomachum revera fuisse horum scribarum in numero, etiam eo apparet, quod duobus Lys. or. locis *ἀναγραφεὺς* factus esse ipsis dicitur verbis (§ 2. 25) et de opera eius semper *ἀναγράφειν* (§ 4. 5. 19. 20. 29) vel *στήλας ἀναγράφειν* (§ 21) vel *ἀναγραφὴ* (§ 17. 25) legitur. Quod autem tribus locis (§ 2. 27. 28) *νομοθέτου* voce significatur Nicomachus, hoc per ironiam scriptum esse, ex ipsius uniuscuiusque loci sententiarum connexu facile cognoscitur. Alterius § haec verba: *προσταχθὲν γὰρ αὐτῷ τεττάρων μηνῶν ἀναγράψαι τοὺς νόμους τοὺς Σόλωνος, ἀντὶ μὲν Σόλωνος αὐτὸν νομοθέτην κατέστησεν* e. q. s., praeterea ne apte quidem essent disposita, si reapse Nicomacho nomothetae munus mandatum fuisset. Immo hoc uno *νομοθέτου* vocabulo omnia quasi comprehenduntur crimina, quae in Nicomachum conferuntur; propterea *νομοθέτης* appellatur Nicomachus, quod accusatoribus quidem testibus leges transcribendas modo sibi traditas lucri faciendi causa suo arbitrio commutavit. Fuit igitur Nicom. inter scribas eos, qui legum scriptoribus ab ipso populo dati erant. — Quod si ita est, illud quoque perspicitur, a quibusnam archontibus multae illae Nicomacho irrogatae sint. Nam sine dubio ipsorum illorum magistratuum, qui leges composuerunt, officium fuit curare, ut leges ab ipsis constitutae nulla mora a scribis diligenter literis mandarentur. Huic officio satisfacere non potuerunt

legum scriptores, nisi in scribas suos certa coercitione utebantur. His de causis existimo, viros illos ad leges conscribendas extra ordinem institutos a Nicomacho, ut a scriba suo, ἐπιβολὰς illas expetivisse, ut eum cogerent, celerius transcribendi negotium conficere. Prorsus enim e more accidit, ut scriba poenis coerceatur a magistratibus iis, quorum imperio subiectus est.

Sic hoc quoque exemplo quod statuimus confirmatur: Inter magistratus ἐπιβολὴ locum non habuit, nisi ita, ut ab eo diceretur, cuius imperium maius erat quam alterius. Unde efficitur, eum, qui sui iuris erat omni ex parte in administrandis negotiis, omnino non potuisse a magistratu multari.

IV.

Iam sequitur, ut explicemus, quod iam supra obiter significavimus, permulta delicta, quorum iurisdictio esset penes certum quendam magistratum, tamen non ἐπιβολαῖς vindicata esse; ut indagemus, quodnam intercedat discrimen inter hanc magistratuum coercitionem et eas multas, quae a iudicibus imponebantur. Quamquam enim, si quidem ea, quae in prioribus capitibus de huius multae natura exposuimus, recte sunt disputata, omnes magistratus in sua quisque administratione multandi potestate usi sunt et peccata longe plurima ad magistratus cuiusdam muneris ambitum pertinuerunt, tamen ne quis arbitretur cavendum est, huic magistratuum multationi in omnibus causis fuisse locum, magistratum in omnes, qui peccato aliquo ipsius auctoritatem violassent, poenam satis magnam sua potestate potuisse statuere. Quod si factum esset, iuratorum iudicum iudiciis opus certe non fuit. Immo potius tenendum est, et senatus utriusque et magistratuum ius multandi certis circumscriptum fuisse finibus, extra quos non liceret ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν. Qui quidem fines hoc modo constituti erant, ut leges praescriberent, quantam multam vel senatus vel magistratus dicere posset maximam.

Et quod ad singulos attinet magistratus, eorum coercitioni certos circumdatos fuisse cancellos, lege illa probatur in Demosth. Macart. § 75 inclusa, qua archon primus, si quis in orbis aut viduis peccaverit, ἐπιβάλλειν iubetur κατὰ τὸ τέλος. Aperte

igitur indicatur, certum fuisse terminum huius potestatis archontis, qui in universum legibus pactus omnibus tam notus fuit, ut eum definiri pluribus in unaquaque lege opus non esset. Nemo enim censeat, verba illa, quae sunt *κατὰ τὸ τέλος*, sic esse percipienda, ut non ad magistratus coercitionem, sed ad singula delicta in orbos commissa, quibus certa poena proposita sit, referantur. Hoc propter ipsa insequentia haec verba: *ἐὰν δὲ μείζονος ζημίας δοκῇ ἄξιος εἶναι* e. q. s., fieri nequit, quia nullum scilicet delictum maiore poena, quam quae legibus ei terminata est, vindicari debet. Si autem archon primus, nisi intra certos terminos, multas expetere non potuit, nihil est, quod ceterorum magistratuum ius multandi non iisdem cancellis inclusum fuisse putemus, quoniam in hac re interfuisse quidquam inter singulos, nullo modo potest ostendi. — Itaque hunc magistratuum coercitionis finem etiam Lys. significare mihi videtur in or. de olea § 29, ubi is, qui accusatur, eos areopagitas iudices, qui fungebantur oleas custodiendi munere, his verbis appellat: *δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι ὑμᾶς μὲν, οἷς ὑπὸ τῆς πόλεως τὸν ἅπαντα χρόνον προστέτακται τῶν μοριῶν ἐλαιῶν ἐπιμελεῖσθαι, μήθ' ὡς ἐπεργαζόμενον πώποτε ζημιῶσαι μήθ' ὡς ἀφανίσαντα εἰς κίνδυνον καταστῆσαι* e. q. s. Distinguuntur enim ea delicta, quae levioribus multis (*μικραῖς ζημίαις* cf. § 26) ab ipsis curatoribus vindicabantur, et ea, quae gravius peccata erant, quam ut *κατὰ τὸ τέλος* satis castigari possent, quamobrem ad iudices deferebantur.

Sed qui fuerint illi termini, usque ad quos *ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν* omnibus magistratibus pari modo liceret, hoc nusquam traditur. Nam quod in Aesch. Tim. § 35 in lege quadam, prohedris quinquaginta drachm. coercitionem datam fuisse, scriptum est, legem illam subditam esse, pluribus causis comprobari potest. — Nec multo plus proficitur ad hanc quaestionem diiudicandam testimonio quodam Platonis, qui suis agoranomis astynomisque centum drachm. finem constituit in legg. p. 764 b et c, quo ex loco hoc tamen cum aliqua probabilitate colligitur, ultra hunc saltem terminum ne Atticos quidem magistratus multas potuisse imponere. — Pro certo hoc unum affirmari potest, magistratuum coercitionem minorem fuisse quam quingen-

torum senatus, quem multas dixisse usque ad quingentas drachm. suo loco demonstrabimus.

Verum etiamsi, quanta pecunia multare liceret magistratibus, cognitum haberemus, haec quaestio minime absoluta esset. In medio enim etiam tum relinqueretur, unde fieret, ut complures irrogarentur *ἐπιβολαὶ*, quae quin transierint illud *τέλος*, dubitari nequit, et quae intercederet ratio inter finem illum magistratuum coercitionis et provocationem eam, quam adversus magistratus datam fuisse Plut. Sol. c. 18 his verbis contendit: *καὶ γὰρ ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἐφέσεις ἔδωκε τοῖς βουλομένοις*. His de rebus ut vere iudicemus, necesse est paulo accuratius examinari eos locos, quibus quanta expetita sit poena traditur. Quo in perficiendo negotio sic progrediemur, ut primum eas inspiciamus multas, quae intra illud *τέλος* videntur statutae esse.

Atque huius generis unum invenitur exemplum, de quo non potest ambigi. Nam Polyaenus miles (Lys. pr. mil. § 5 sq.), qui in publico, non in consistorio conviciis imperatorem consectatus est, quin iniuria multa affectus sit, minime dubito. Tamen ne uno quidem verbo significatur, provocasse eum ad iudicii alicuius sententiam, quod si liceret, cur omiserit miles, nemo ostendat; cum praesertim manifestum sit, Polyaenum certe cum quaestoribus illis (*ταμίαις*) conquestum esse de imperatorum iniquitate. Itaque mea quidem sententia putandum est, Polyaeno omnino non datam fuisse provocationem; quod quidem non potuit fieri nisi ita, ut quinque drachm. multa, quam imperator in Polyaenum constituit, extra magistratuum coercitionis terminos non egrederetur. Censemus igitur hanc esse vim illius finis, quo magistratuum potestatem puniendi terminatam fuisse vidimus: quaecunque multa *κατὰ τὸ τέλος* irrogaretur, eam fuisse sine provocatione, quam tum demum habuisse locum, cum magistratus aliquis *τέλος* illud transiret. Ne autem in multando intra terminos nimia uteretur magistratus licentia, ea re satis praecautum fuit, quod ab unoquoque cive in ius vocari poterat, cum administrationis suae rationem reddebat. Quamobrem censeo, *τέλος* illud ad provocationem esse referendum, idque in hunc modum, ut ad iudices provocari

potuerit ab eo solo magistratu, qui in multando fines sibi statutos neglexerat. Hac re factum est, ut Polyaenus intra fines quamvis per iniuriam multa affectus, non interponeret provocationem. Revera autem quinque drachm. multam non transisse magistratuum coercitionem, propter ipsam exiguitatem huius poenae facile concedamus. — Minus certo, quod ad τέλος attinet, de alia multa disputari potest. Quod enim iis, qui intra Pelasgicum agrum colerent, Polluce VIII, 101 teste τρεῖς δραχμαὶ καὶ ἁπλοῦν τὸ βλάβος, ut poena, proposita erant, trium drachm. multa quin intra terminos fuerit, non est dubium; de damno resarciendo certum iudicium fieri nequit. Tamen nihil est in hoc exemplo, quod cum iis, quae de provocatione posuimus, pugnet. Proinde perseveremus in hac sententia: Adversus eas multas, quae κατὰ τὸ τέλος a magistratu dicuntur, nulla est provocatio. Ex quo efficitur, quaecunque delicta intra magistratuum coercitionis fines poena satis magna vindicari posse viderentur, ea omnino non esse delata ad iudices; sed magistratus, cuius ad iurisdictionem quaeque res pertinuit, sive ex alio quo homine tale quid commissum esse cognoverat, sive ipse quem in tali peccato deprehenderat, sua auctoritate animadvertit nullo iudicio adhibito.

Nunc est videndum, quam coercendi viam magistratus in eos ingressi sint, qui maiorem poenam, quam quae κατὰ τὸ τέλος irrogari posset, commeruerant. In qua quidem re aliquantum interest inter ea delicta, quae ne fierent, certa poena proposita legibus cautum, et ea, de quibus nihil sancitum erat.

Atque primum in haec inquirentibus rursus ad legem illam nobis redeundum est, quam de orbis viduisque tuendis in Demosth. c. Macart. or. § 75 habemus servatam. Qua in lege postquam archon, ἐάν τις ὑβρίζῃ ἢ ποιῇ τι παράνομον, ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος iussus est, haec verba leguntur: ἐὰν δὲ μείζονος ζημίας δοκῇ ἄξιος εἶναι, προσκαλεσάμενος πρόπεμπτα καὶ τίμημα ἐπιγραψάμενος, ὅτι ἂν δοκῇ αὐτῷ, εἰσαγαγέτω εἰς τὴν ἡλιαίαν. Docemur hoc loco, si quis tanta improbitate peccasset, ut ne maxima quidem multa magistratibus concessa ad castigandum sufficeret, eum non a magistratu ipsius auctoritate punitum, sed in iudicium adductum esse, ita tamen, ut idem

magistratus et *εἰσαγωγεὺς* esset, qui actione instructa ad suffragium vocaret iudices, et accusatoris munere fungeretur, qui certam poenam in accusatorio libello posceret. Hoc apud Athenienses sine ullo periculo fieri potuit, quia magistratus apud iudices prorsus nihil valebant auctoritate ad iudicium faciendum. Graviora igitur delicta, quibus certa poena non erat constituta, non ad magistratuum coercitionem spectabant, sed a iudicibus vindicabantur. — Quod idem constat ex testimonio Pollucis, qui de apodectarum iurisdictione tradidit, eos ipsos quoque in causis gravioribus non suo arbitrio multasse, sed rem reiecisse ad iudices VIII, 97: *ἀποδέκται . . . τὰ περὶ τούτων ἀμφισβητούμενα ἐδίκαζον. εἰ δέ τι μεῖζον εἴη, εἰσῆγον εἰς δικαστήριον.*

Atque reperiuntur etiam exempla, ubi revera magistratus, quia sua potestate imponere maiorem poenam non potuit, apud iudices accusationem instituit. Velut Nicomachum scribam suum, pecunia multatum, legum scriptores praeterea in ius quoque vocasse narrantur Lys. c. Nicom. § 3: *ἐπιβαλλόντων δὲ τῶν ἀρχόντων ἐπιβολὰς καὶ εἰσαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον.* Hoc propterea factum esse patet, ut Nicomachus, qui intra magistratuum coercitionis fines multis iam saepius affectus, tamen muneris sui negotia non expediret, graviore poena ad officium redire cogeretur a iudicibus. — Eademque de causa Erasinides dux ab Archedemo apud iudices accusatus est cf. Xen. hell. I, 7, 2: *Ἀρχέδημος . . . Ἐρασινίδῃ ἐπιβολὴν ἐπιβαλὼν κατηγόρει ἐν δικαστηρίῳ.* Nam Archedemus multa *κατὰ τὸ τέλος* imposita ne ipse quidem quidquam profecerat, quamobrem opus fuit iudicum sententia adigi Erasinidem, ut quas suppressisset pecunias redderet. Utrumque igitur hoc exemplum plane cum iis consentit, quae lege illa in Demosth. Macart. inserta iubentur.

Paulo magis contortus ac difficilis est status causae, quod ad Andocidem attinet, quem a rege *ἐπιβολῇ* punitum esse vidimus propter impietatem aliquam, qua de re [Lys.] c. Andoc. § 21: *Ἀνδοκίδης γὰρ ἐπειδὴ ἥμαρτεν, ἐξ ἐπιβολῆς εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, ἔδησεν ἑαυτὸν τιμησάμενος δεσμοῦ, εἰ μὴ παραδοίη τὸν ἀκόλουθον.* Quibus verbis quae commemoratur *ἐπιβολὴ* non tam facile, quam duobus prioribus locis, qualis fue-

rit, perspicitur. Nam illae multae ad alterum quod distinximus *ἐπιβολῆς* genus pertinent. Itaque iure quis dicat, postquam magistratui quod voluerit — ut ad officium reum redigeret — non contigisset, postulasse eum a iudicibus maiorem poenam, nimirum eodem consilio, ut ad obsequium reduceret noxium. Sed hac declaratione eo loco, quem nunc tractamus, nihil proficimus, etiamsi praepositionem illam, quae est *ἐξ*, temporali notione usurpatam esse putemus. Neque enim percipit quisquam, cur non statim a primo in iudicium Andocides adductus sit, si gravius, quam quod vindicari posset a magistratu, commisisse videbatur delictum. Qua de causa verba illa *ἐξ ἐπιβολῆς εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον* sic interpretanda esse censeo: ipsa expetita illa multa factum est, ut in iudicium veniret Andocides. Quod quidem fieri omnino non potuit, nisi Andocides supra modum legibus constitutum multa a magistratu affectus erat; quod in scelere contra deos commisso, imprimis turbidis illis temporibus, per se omnes numeros habet probabilitatis. Talem autem multam, ut rata fieret, extemplo ab ipso magistratu referendam fuisse ad iudices heliastas, ex ipsius rei natura efficitur; quocum non pugnant verba § 22 haece: *καίτοι πῶς οὐ θεῶν τις τὴν τούτου γνώμην διέφθειρεν, ὃς ῥᾷον ἡγήσατο δεσμοῦ τιμήσασθαι ἢ ἀργυρίου ἐπ' ἐλπίδι τῇ αὐτῇ;* Non enim dicit hoc loco accusator, quod voluerunt, si multam persolvisset Andocides, si non provocasset — nam provocationem hic intellegendam esse censent — omnino non futurum fuisse, ut actio intenderetur; sed sic percipienda sunt verba: Andocides melius fecisset, si sanciri multam a iudicibus passus esset, quam quod defendendi causa, nisi servum daret ad torquendum, fore ut vinculis sese mandaret profitebatur. Videmus igitur, etiam extra coercitionis fines multas statuere licuisse magistratibus, si modo ipsi rem ad iuratorum iudicum iudicium statim reicerent, vel ut idem aliis verbis efferam, eam quoque multam *ἐπιβολὴν* esse vocatam, qua ut noxius afficeretur, magistratus a iudicibus posceret; qua in accusatorio libello inscripta in iudicium reum adduceret archon. — Quae opinio mea quidem sententia etiam loco quodam confirmatur, qui reperitur in Plat. legg. Nam p. 949 d, ubi pluribus Plato dispu-

tat, quomodo, qui suscipere noluerint, ad *λειτουργίας* praestandas compellantur, postquam primam coercitionem multam esse debere, deinde pignora esse capienda scripsit, his verbis pergit: *ἐὰν δὲ ζημίας δέωνται πλείονος, τὰς ἀρχὰς ἑκάστας τοῖς ἀπειθοῦσι τὰς πρεπούσας ζημίας ἐπιβαλλούσας εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον.* Quo loco verbum illud, quod est *ἐπιβάλλειν*, Plato nullo modo potuit usurpare, si maior illa, quae proponebatur modo a magistratibus, poena prorsus nunquam *ἐπιβολῆς* nomine esset notata. — Sic igitur accidit, ut interdum ea quoque multa, quae a iudicibus dicebatur, *ἐπιβολὴ* appellata sit; quod quidem semper fieri potuit, cum non privatus homo in accusatorio libello poenam illam postulaverat, sed magistratus aliquis accusatoris partes susceperat.

Hoc si tenebimus, etiam eius multae comprehendemus naturam, quae commemoratur apud Aristoph. in vesp. v. 769, ubi Bdelycleon patri, quomodo domi iudicium faciat, quaerenti in hunc modum respondet:

πρᾶτθ' ἅπερ ἐκεῖ πράττεται·
ὅτι τὴν θύραν ἀνέῳξεν ἡ σηκὶς λάθρᾳ,
ταύτης ἐπιβολὴν ψηφιεῖ μίαν μόνην.

Hanc *ἐπιβολὴν* pater iudex non magistratus instar servae constituens fingitur, sed quam filius cogitatione assecutus est causam, haec est: Serva aliqua propter contumaciam, qua detrectavit, quod superior quidam homo, qui domesticae disciplinae praeerat, velut servorum magister, imperaverat, ab illo ut a magistratu ea affecta est poena, quae ut rata fieret, ad dominum ut ad iudicium referenda esset. Iudicasset igitur Philocleon de multa quasi a magistratu quodam proposita, quae quidem poena iure *ἐπιβολὴ* dici potest. In eo autem, quod Philocleon iudex talem multam sanciens inducitur, qualis propter exiguitatem reapse sane nunquam pervenisset ad iudices, comicam quandam vim inesse putandum est neque quidquam ex hac re sequitur contra ea, quae usque adhuc exposuimus. — Itaque concedendum est, eam *ἐπιβολῆς* interpretationem, quam schol. ad Aesch. de fals. leg. § 93 protulit: *ἐπιβολὴν δὲ οἱονεὶ ζημίαν καὶ καταδίκην*, magis generalem esse, quam prima specie videtur, cum revera non ad eas solas poenas pertineat,

quae a senatibus aestimabantur. — Nunc denique etiam hoc possumus plane perspicere, unde factum sit, ut ab Apollodoro (cf. or. c. Nicostr. § 14) tanta peteretur multa, quanta irrogata coercitionis terminos multo egressurum fuisse videbimus quingentorum quoque senatum. Quam ad tollendam difficultatem qui censent, permissum fuisse magistratibus, ut multando persequerentur, dum ad obsequium rediret noxius — quod per se ipsum nullo fine statuto prodigialiter fieret — vix enucleare possint, cur ceteri magistratus, qui multis frustra impositis in iudicium adduxisse reum traduntur (cf. Lys. c. Nicom. § 3. Xen. hell. I, 7, 1) non etiam ipsi versati sint in multis augendis. Immo sic res videtur se habuisse: Apollodorus, ut rem quandam exhiberet, absens arbitri sententia condemnatus, ne ad eam quidem diem respondit, quam ad exhibitionem constituerat archon. Itaque opus fuit, ab eodem magistratu necessitatem huic imperio parendi inici Apollodoro, quod nisi multando fieri non potuit; qua re accidit, ut archon eam, quam idoneam fore putabat, multam a iudicibus posceret, atque impetratam in exactorum albo inscribendam curaret. Hoc modo Apollodorus sexcentarum decem drachm. multam debens inter publicos debitores relatus est. Haec autem poena a iudicibus quasi confirmata ἐπιβολῆς voce prorsus recte notatur, quoniam proposita est a magistratu. Hoc enim est discrimen, quod intercedit inter ἐπιβολὰς ceterasque multas, quae a iudicibus imponebantur: ἐπιβολὴ dici omnino nequit, nisi quis ad eum spectat magistratum, qui sua auctoritate accusatore nullo in noxium animadvertit, qui ad suum iudicium causam reiecit et in accusatorio libello certam poenam postulavit. Sin autem privatus homo accusationem intendit, quae a iudicibus terminatur multa, ἐπιβολὴ appellari non potest. Nam ἐπιβολὴν a magistratu aliquo aestimatam esse necesse est, quamobrem Suid. s. v. ἐπιβολὴ recte scripsit: *ἣν οἱ ἄρχοντες ζημίαν ὁρίζουσιν, ἐπιβολὴ καλεῖται.*

Atque ut breviter comprehendamus, quae de huiusmodi multa exposuimus, statuendum est: quibuscunque gravioribus delictis certa poena legibus non erat proposita, ea ἐπιβολαῖς sane vindicata sunt, ita tamen, ut multas non sua sola pote-

state magistratus dicerent, sed iudicio alicui sanciendas traderent. Et quamquam demonstrari vix possit, eum prorsus contra leges fecisse magistratum, qui talem quoque multam iudicio adhibito nullo expeteret, hoc tamen num revera factum sit, valde dubito. Nam in tali causa magistratus, quoniam in legibus nihil habuit, quod sequeretur in multa definienda, suo tantum arbitrio uti debuit; quamobrem fieri nullo modo potuit, quin unusquisque, maiore poena se affectum esse ratus, adversus magistratum provocaret ad iudices. Qua re ne longius produceretur causa, verisimilius est, magistratum iis, qui graviore poena commissa tamen non certam legem violaverant, omnino nunquam ἐπιβολὴν irrogasse, nisi ita, ut noxium poena illa in libello inscripta in iudicium ipse adduceret. Adversus talem igitur ἐπιβολὴν nulla data fuit provocatio.

Paulo alio modo castigasse putandi sunt magistratus ea delicta, quae etiam ipsa graviora essent, quam ut intra magistratuum coercitionis fines poena satis magna posset constitui, quae tamen ne fierent, legibus certa multa sancita esset. Nam in hac quoque causa apud iudices iustam actionem adornandam fuisse magistratui, credi vix potest. Immo vero si in tali peccato manifesto quem deprehenderat archon, in eum ita animadvertisse videtur, ut simpliciter eam multam, quae legibus fuit proposita, commissam esse diceret et provocationem interponere noxio permitteret. — Hoc modo, ut exemplum afferam, is, qui testimonium debitum recusaverat, ex certa lege (cf. Poll. VIII, 37 e. cet. loc.) mille drachmis ab archonte eo multatus est, qui testimonium illud ad instruendam causam poposcerat; quae quidem poena quin τέλος illud transierit, propterea non est dubium, quod, quae maxima a magistratibus κατὰ τὸ τέλος statui posset multa, eam certe minorem fuisse drachm. quingentis iam exposuimus. Tamen nihil est, cur in hac re iudicii alicuius sententiam intercessisse arbitremur. — Neque aliter iudicamus, quod ad eas attinet mille drachmarum poenas, quas legibus definitas fuisse vidimus (cf. or. c. Theocr. § 6), si quis accusator in causa publica a lite iam instructa recederet vel iudicibus ad sententias ferendas vocatis, ne quintam quidem suffragiorum partem acciperet. Ne has quidem multas opus

fuit ad iudices delegari sanciendas. Nam de re ipsa dubitari nullo modo potuit atque poena legibus terminata constabat. — Eademque de causa eam quoque mille drachm. multam *ἐπιβολὴν* esse puto, quam, ne mulieres in publico inhoneste se gererent, Harpocr. Philippidis lege propositam fuisse scripsit: *ὅτι χιλίας ἐζημιοῦντο αἱ κατὰ τὰς ὁδοὺς ἀκοσμοῦσαι γυναῖκες Ὑπερείδης ἐν τῷ κατ' Ἀριστογόρας β' εἴρηκεν. Κρώβυλος δὲ ὁ κωμικός φησι τοῦ Φιλιππίδου τὸν νόμον εἶναι τὸν περὶ τούτων κείμενον.* Si enim gynaeconomi, quorum ad potestatem hanc poenam referendam esse patet, mulierem quam in tali delicto reprehensam tenerent ipsi, nemo negaverit, eos e vestigio sua auctoritate multam illam imposuisse. Verum etiam tum, cum alius quis magistratum de peccato certiorem fecerat, non facile alio modo vindicatum est, nisi ita, ut magistratus, postquam de re sibi persuasit, legitimam illam poenam a noxio peteret. — Quod autem de hac multa statuendum est, idem ad eam quoque poenam spectat, quam a mulieribus iis, quae carpentis Eleusinem inveherentur, expeti lex quaedam iussit Lycurgi, de qua in vita Lycurg. p. 842 a: *ἐπὶ ζεύγους μὴ ἀπεῖναι γυναῖκα Ἐλευσινάδε, ὅπως μὴ ἐλαττῶνται ὑπὸ τῶν πλουσίων, εἰ δέ τις φωραθείη, ἀποτίνειν δραχμὰς ἑξακισχιλίας* cf. Ael. var. hist. 13, 24: *Λυκοῦργος ὁ ῥήτωρ ἔγραψε μὴ ἐλαύνειν τὰς γυναῖκας ἐν τοῖς μυστηρίοις ἐπὶ ζευγῶν, ἢ τῇ δρώσῃ τοῦτο ἐπηρτῆσθαι ζημίαν, ἥν γε ᾤετο τάξας ἀποχρῶσαν.* Quae quidem multa quamvis egrediens extra terminos, intra quos magistratus sine provocatione multabant, tamen nullo iudicio a magistratu videtur irrogata esse, quoniam ita comparatum fuit delictum, ut nihil unquam dubitationis habere posset. Ceterum non gynaeconomorum fuit, hac poena coercere mulieres — nam gynaeconomi nulli fuerunt Lycurgi temporibus — sed archon rex sicut universam disciplinam servavit in agendis mysteriis, ita, ne hanc legem mulieres violarent, curavit. — Denique inter huius generis poenas ea numeranda est multa, quae mille drachm. constituta fuisse traditur, si choregi saltatores externos vel in suis choris in scenam mitterent (cf. Plut. Phoc. c. 30) vel ex alterius choro ipsis in faciendis ludis reicerent (cf. Demosth. c. Mid. § 56). Nam quoniam hoc modo a choregis pec-

cari non potuit, nisi cum adesset primus ille archon, qui Dionysiis celebrandis praecerat, prorsus supervacaneum fuit, talem rem deferre ad iudices. Immo hanc quoque multam magistratus solus imposuisse putandus est. Quod etiam magis, si quidem hoc fieri potest, in eas cadit quinquaginta drachm., quae ex lege solvendae erant, si quis festis diebus peregrini choreutae ad archontem detulerat nomen (cf. Demosth. c. Mid. § 56).

Omnium igitur, quae huiusmodi multationis inveniuntur exempla, id est commune, quod peccatum tam manifestum erat, ut, quin legitima poena commissa esset, in dubium vocari non posset. Hac re factum est, ut tales multas sola muneris auctoritate magistratus dicerent nullo iudicio adhibito. Quamobrem Demades centum peregrinis saltatoribus in scenam productis cum legitimam poenam petiturum esse archontem provideret, ultro in theatrum certam illam multam intulit cf. Plut. Phoc. c. 30: (*Δημάδης*) *ἅπαντας εἰσαγαγὼν ξένους τοὺς χορεύοντας ἑκατὸν ὄντας ἅμα καὶ τὴν ζημίαν ἀνὰ χιλίας ὑπὲρ ἑκάστου εἰσήνεγκεν εἰς τὸ θέατρον.* — Sin autem tale vel simile quid ita erat peccatum, ut magistratus, cum nullo modo de re sibi persuadere posset, sua auctoritate in noxium animadvertere nollet, minime dubito, quin in eadem causa a privato aliquo homine actio quoque iusta intendi potuerit apud magistratum. Quod si factum erat, res nimirum ad iudices diiudicanda pervenit. Nam hoc ipsum proprium est iuris Attici, ut in eadem re vindicandi viae datae sint plures cf. Demosth. c. Androt. § 26 sq.

Maiore autem licentia uti in talibus irrogandis multis propterea non potuerunt magistratus, quia adversus omnes has poenas, quippe quae *τέλος* illud egrederentur, provocatio data fuit ad iudices. His enim terminis circumscribenda sunt, quae de provocatione circumferuntur, ut adversus eas tantum multas provocari potuisse dicamus, quae extra fines magistratibus positos statuerentur. Quod autem Plut. Sol. c. 18 tradidit, Solonem adversus omnia, *ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, εἰς τὸ δικαστήριον* dedisse provocationem, hoc — quandocunque heliastarum iudicia instituta esse censemus — sicut verbo illo, quod est *κρίνειν*, apertissime significatur, nullo modo pertinet ad

eam magistratuum coercitionem, de qua nos agimus. — Actum vero est apud iudices de tali provocatione, nisi omnia me fallunt, eodem praesidente magistratu, qui primus expetiverat poenam. Potuit enim hoc fieri prorsus eodem iure, quo multas eas, quas legibus non propositas ultra terminum sua auctoritate magistratus dicerent, ab ipsis delatas esse ad iudices demonstravimus; atque etiam debuit, cum, quantum adhuc quidem scimus, praeter magistratum punientem nemo esset, cuius ad iurisdictionem delictum spectaret, qui in iudicium adduceret reum.

Haec fere sunt commemoranda, quod ad cancellos attinet, quibus singulorum magistratuum multandi potestas coercebatur. Sunt igitur ἐπιβολαὶ, quae impositae sunt κατὰ τὸ τέλος; sunt, quae τέλος illud transierunt. Intra fines semper sine provocatione a magistratibus multatum est; qua in re nihil interest, utrum legibus certa poena definita sit necne. Nam ut heliastis iudicibus, quantam constituerent multam, lege interdum praeceptum est, ita magistratibus quoque certam, quam irrogarent, poenam terminatam esse, minime mirum est. Extra fines sua ipsorum auctoritate sola non puniverunt magistratus, nisi ita, ut legitima multa castigarent manifestum atque deprehensum delictum. Sin autem tale quid peccatum erat, de quo legibus nihil sanctum esset, magistratus rem tradidit iudicibus, quibus certam poenam confirmandam proposuit. Provocationem interponi nisi adversus priorem multam non licuit. — Hoc modo inter se differunt, quae exstant ἐπιβολῶν genera. Sed in unum consentiunt omnia: ἐπιβολὴ dici non potest, nisi magistratus quis vindicavit ex sui muneris rationibus accusatore nullo; ἐπιβολὴ ea sola est multa, quae ut expeteretur, magistratus aliquis auctor fuit. Atque hac re ea quoque, quae iudicio aliquo sancita est ἐπιβολὴ a ceteris distinguitur multis, quas iudices legibus violatis statuerunt. Hae poenae capiebantur de eo, cuius nomen privatus aliquis ad archontem detulerat; ἐπιβολὴ a iudicibus imponebatur ita, ut magistratus, qui litem instruxerat, etiam ipse accusatoris munere fungeretur. Haec intercedit ratio inter magistratuum ἐπιβολὰς atque eas multas, quae a iudicibus certa lege neglecta irrogabantur.

Restat, ut de tertio, quod in prooemio significavimus, multarum genere pauca addamus. Fieri enim hoc quoque potuit, ut non lege, sed plebiscito quodam certa multa constitueretur certo delicto. Velut magistratibus iis, qui, quae plebiscito iussi essent, non ordine perficerent, saepius in eodem illo plebiscito certae multae proponebantur. Tales poenae per se nulla ratione coniunctae sunt nec cum *ἐπιβολαῖς* nec cum iis, quas iudices expetunt, multis. A magistratibus dici non potuerunt, quia etiam iis publicorum officiorum magistris plebiscito definiebantur, qui prorsus sui iuris erant in administrando munere, quos multis afficere nemini magistratui licuit. Iudices ne ipsi quidem hoc modo in magistratus animadvertisse videntur, quantum quidem de hac re iudicari potest ex plebiscito illo, quod iam laudavimus, de ponderibus ac mensuris facto, in quo haec verba leguntur C. I. Gr. nr. 123 v. 12 sqq.: *ἐὰν δέ τις ποιήσῃ τῶν ἀρχόντων, ἢ μὴ ἐπαναγκάζῃ τοὺς πωλοῦντας τούτοις πωλεῖν, ὀφειλέτω ἱερὰς τῇ Δημητρὶ καὶ τῇ Κόρῃ δραχμὰς χιλίας, καὶ ἐξέστω αὐτοῦ ἀπογραφὴ τῆς οὐσίας πρὸς τοῦτο τὸ ἀργύριον Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ.* Actioni enim, quae vocatur *ἀπογραφή*, non fuit locus, nisi metronomi eo ipso, quod plebiscitum illud neglexerant, legitimam illam multam commisisse et venisse in publicorum debitorum numerum existimabantur, etiamsi haec poena nec a iudicio nec a magistratu dicta erat. Videtur igitur talis multa non magis ad iudicum quam ad magistratuum sententiam pertinuisse. A populo autem solo quae statuitur multa, *ἐπιβολή* appellari nequit.

Verum tamen haec quoque multa aliquid certe rationis habuit cum *ἐπιβολῇ*. Fieri enim potuit, ut in ipso illo plebiscito, quo talis poena constituebatur, populus eum nominaret magistratum, qui multam illam a noxio peteret; cuius quidem magistratus imperium maius esse debuit quam eius, cui poenam illam plebiscitum minabatur. Sic percipienda sunt nonnulla decreti cuiusdam verba, quae certo redintegrari possunt in hunc modum C. I. Att. nr. 77 v. 18 sqq.: . . . *τις ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηναίᾳ καὶ ζημιούντων αὐτὸν οἱ ἐπιμελόμενοι τοῦ νεωρίου.* Nam cum decretum illud quam-

vis mutilatum in navalibus rebus ordinandis versatum esse appareat, nemo non videt, verbis illis poenam terminatam esse iis, qui non praestarent officia sua ad ornandas naves spectantia, velut trierarchis et gubernatoribus, qui in antecedentibus versibus commemorantur. Habemus igitur hanc causam: Trierarchis aliisque, si negotia decreto illo sibi mandata non perfecerint, mille drachm. multa proponitur, atque navalium curatores, quibus custodia navium instruendarum data est, irrogare legitimam illam poenam iubentur. Talis autem multa, quod ad magistratum attinet punientem, non intellegitur cur non eodem iure *ἐπιβολῆς* nomine designari potuerit, quo ea appellata est *ἐπιβολή*, quam lege aliqua circumscriptam magistratus imposuerunt.

Atque reperitur etiam alterum similis multationis exemplum, de quo in plebiscito ipso quoque de triremibus armandis facto leguntur Boeckh. Seeurk. XIV b v. 1 sqq.: *ἐὰν δέ τις μὴ ποήσῃ οἷς ἕκαστα προστέτακται, ἢ ἄρχων ἢ ἰδιώτης, κατὰ τόδε τὸ ψήφισμα, ὀφειλέτω ὁ μὴ ποήσας μυρίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ ὁ εὔθυνος καὶ οἱ πάρεδροι ἐπάναγκες αὐτῶν καταγιγνωσκόντων ἢ αὐτοὶ ὀφειλόντων.* Illud enim *καταγιγνώσκειν* hoc modo factum est, ut euthyni eum, qui plebiscitum illud violaverat, postquam se abdicavit munere, decem milium drachm. multam commeruisse dicerent et legitima illa poena in libello inscripta ipsi apud iudices accusarent. Itaque hanc multam prorsus eadem ratione a iudicibus poposcerunt euthyni, qua reliquos magistratus *ἐπιβολὰς* maiores iudicibus proposuisse sanciendas vidimus; quamobrem haec quoque multa etsi per se *ἐπιβολὴ* certe non est, tamen, si quis ad euthynum spectat multantem, *ἐπιβολὴ* potest vocari. — Si autem haec poena aliqua saltem ex parte inter *ἐπιβολὰς* referenda est, idem sine dubio ad omnes pertinet multas, quaecunque plebiscitis ita constitutae sunt magistratibus, ut expetendae mandarentur euthynis cf. C. I. Att. nr. 40 v. 36 sqq.: *οἵ τε Ἑλλησποντοφύλακες μήτε αὐτοὶ κωλυόντων ἐξάγειν μήτε ἄλλον ἐώντων κωλύειν ἢ εὐθυνέσθων μυρίαισι δραχμαῖσιν ἕκαστος.* nr. 37 frg. f—m v. 25 sqq.: *ἐὰν δὲ μὴ ἐξενέγκωσι ἐς τὸν δῆμον ἢ μὴ διαπράξωσι ἐπὶ σφῶν αὐτῶν, εὐθυνέσθω μυ-*

ρίασι δραχμῆσιν ἕκαστος τῶμ πρυτάνεων cf. v. 4. 17. nr. 41. 95. 7. 29. 90. Hae poenae omnes proxime accedunt ad ἐπιβολῶν similitudinem, si irrogantur, non privato quo homine auctore, qui accusationem apud euthynos intendat, sed ipsorum euthynorum opera, qui sua sola auctoritate accusatore nullo in noxium vindicent.

Censemus igitur de tribus his multarum generibus haece: Per se magistratuum ἐπιβολαὶ nulla ratione coniunguntur nec cum iis multis, quas lege aliqua neglecta statuunt iudices, nec cum iis, quae plebiscito aliquo definiuntur. Tamen ad utrasque has poenas revocari potest verbum, quod est ἐπιβολή, si magistratus quis auctor fuit, ut tali modo multaretur. Hoc de magistratuum ἐπιβολαῖς exploratum habere mihi videor.

Sequitur, ut disseramus quam brevissime de senatibus, quorum utrique etiam ipsi certos multandi fines pactos fuisse, iam significavimus. Ac primum quidem de quingent. senatu videntes ipsum eum locum inspiciamus, qui ad hanc rem diiudicandam longe maximi est momenti [Demosth.] c. Euerg. et Mnes. § 43: καὶ ἐπειδὴ ἐν τῷ διαχειροτονεῖν ἦν ἡ βουλὴ πότερα δικαστηρίῳ παραδοίη ἢ ζημιώσειε ταῖς πεντακοσίαις, ὅσου ἦν κυρία κατὰ τὸν νόμον . . . συνεχώρησα ὥστε τῷ Θεοφήμῳ πέντε καὶ εἴκοσι δραχμῶν προστιμηθῆναι. Haec verba leguntur, postquam senatores decrevisse narrati sunt, Theophemum εἰσαγγελίᾳ accusatum poenam aliquam commeruisse. Itaque quod ad eam attinet causam, quae εἰσαγγελία dicitur, luce clarius est, senatui ultra drachm. quingentas non licuisse multare. Hoc est τέλος quingentorum coercitioni in εἰσαγγελίαις positum.

Praeterea autem senatum sic quoque multis animadvertisse supra exposuimus, ut eos, qui neglexissent susceptum aliquod negotium publicum, ad officium redire cogeret. Quaeritur igitur, num τέλος illud ad talem quoque multationem spectaverit. Atque hoc per se ipsum verisimillimum, certo testimonio etiam comprobari mihi videtur. Inveniuntur enim de huiusmodi poena in plebiscito quodam, quod iam saepius laudavimus, haec verba Boeckh. Seeurk. nr. XIV b v. 11 sq.: τὴν δὲ βουλὴν τοὺς πεντακοσίους ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ἀποστόλου, κολάζουσαν τοὺς ἀτακτοῦν-

τας τῶν τριηράρχων κατὰ τοὺς νόμους. Quo quidem decreto quoniam iussum esse senatum, imponere trierarchis certas multas, singulis delictis lege terminatas — quod non quingentorum, sed magistratuum fuisset eorum, quorum ad muneris ambitum pertinerent talia peccata C. I. Att. nr. 77 v. 18 sqq. — quoniam hoc cogitari nequit, facere non possum, quin verba illa κατὰ τοὺς νόμους eodem modo intellegenda esse putem, quo in or. c. Euerg. et Mnes. proxime legimus: ὅσου ἦν κυρία κατὰ τὸν νόμον. Tum eam habemus sententiam, quae ipsa re postulatur: Senatores iubentur segniores trierarchos multis afficere suo ipsorum arbitrio, ita tamen, ut terminum coercitioni suae statutum non egrediantur; qui quidem terminus cur in tali causa alius fuerit atque in εἰσαγγελίαις, non facile quisquam demonstret. Fuit igitur in universum quingentarum drachm. τέλος senatui in multando propositum; quem usque ad finem in omnibus causis, quae ad ipsius potestatem spectabant, pecunia multare potuit.

Vim autem huius termini et ex quingentorum senatus quasi indole et ex singulorum magistratuum coercitionis similitudine recte colligitur in eo potissimum esse versatam, quod adversus multas intra finem illum a senatu impositas provocatio ad iudices non esset data. At tamen fieri potuit, ut ad iudicium perveniret talis actio a quingentorum senatu. Hoc autem non provocatione interposita, sed alio modo accidit.

Superest enim, ut inquiramus, qua ratione in eos senatus vindicaverit, qui etsi gravius viderentur peccasse, quam ut poena satis magna definiri posset intra drachm. quingentas, tamen apud senatum εἰσαγγελίαις accusarentur. Atque etiam de hac re docemur eodem illo loco ex or. c. Euerg. et Mnes. allato, quo deliberasse quingentos accusator exponit, utrum Theophemum priore suffragio iam condemnatum intra terminos sibi constitutos pecunia multarent, an rem reicerent ad heliastarum iudicium. Quocum plane consentiunt, quae a Poll. VIII, 51 de εἰσαγγελίας actione traduntur: εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγγελία δίδοται κατ' αὐτοῦ, κἂν μὲν μέτρια ἀδικεῖν δοκῇ, ἡ βουλὴ ποιεῖται ζημίας ἐπιβολήν, ἂν δὲ μείζω, παραδίδωσι δικαστηρίῳ. Probatur igitur utroque hoc loco, in εἰσαγγελίαις quingentorum senatum,

postquam de re ipsa iudicasset, ad multam aestimandam prorsus non accessisse, nisi ad puniendum reum ea, quae κατὰ τὸ τέλος expeti posset, poena sufficeret. Omnia autem ea delicta, quae graviore multa coerceri opus fuit, non sua ipsius auctoritate castigavit senatus, sed ad iuratorum iudicum iudicia detulit. — Hoc modo ab ipso senatu ad heliastas remissa ea intellegenda est εἰσαγγελία, de qua Antiph. de chor. inde a § 35 usque ad § 38 pluribus disserit. Atque simile aliquid in plebiscito illo de honorandis Phrynichi percussoribus designatur, quo in postremo haec verba scripta sunt C. I. Att. nr. 59 v. 39 sqq.: *περὶ δὲ τῶν δωροδοκησάντων ἐπὶ τῷ ψηφίσματι, ὃ ἐψηφίσθη Ἀπολλοδώρῳ, τὴν βουλὴν βουλεῦσαι ἐν τῇ πρώτῃ ἕδρᾳ ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, καὶ κολάζειν τῶν δωροδοκησάντων καταψηφιζομένην, καὶ εἰς δικαστήριον αὐτοὺς εἰσάγειν, καθότι ἂν δοκῇ αὐτῇ.* Nam quod senatui permissum fuisse dicitur, ut noxios aut sua potestate multaret aut delegaret ad iudices, hoc sic percipiendum esse patet, ut senatores iudiciis eas solas res diiudicandas traderent, in quibus eam poenam, quae egrederetur quingentarum drachm. terminum, irrogandam esse cognoverant. Neque aliter est sentiendum de Aristoph. vesp. v. 590 sq.:

ἔτι δ' ἡ βουλὴ χὠ δῆμος ὅταν κρῖναι μέγα πρᾶγμ' ἀπορήσῃ,
ἐψήφισται τοὺς ἀδικοῦντας τοῖσι δικασταῖς παραδοῦναι.

Itaque non reperiuntur multae, quae a quingentis impositae τέλος illud transierint. Neque hoc pugnat cum iis, quae de singulorum magistratuum iure multandi exploravimus. Nam ne magistratus quidem in iis causis gravioribus, de quibus legibus certa multa non fuit proposita — quo in numero quin εἰσαγγελίαι fuerint, non dubium est — sua ipsorum auctoritate vindicarunt, sed ad iudices rem reiecerunt.

Quae cum ita sint, quoniam eas multas, quae intra finem illum a senatu statuerentur, sine provocatione fuisse iam vidimus, omnino nullo modo potuit fieri, ut adversus quingentorum sententiam provocaretur. Quamobrem, quae a Poll. VIII, 62 de tali provocatione prodita esse videntur, ea cum Schoemanno Att. Proc. p. 771 sic intellego, ut vocabulum, quod est ἔφεσις

eadem significatione a Poll. usurpatum esse existimem, qua illud *ἐφιέναι* positum est in verbis, quae ad Theodotum arbitrum referuntur, hisce Demosth. adv. Phorm. § 21: *οὐκ ἀπέγνω τῆς δίκης, ἀλλ' ἐφῆκεν ἡμᾶς εἰς τὸ δικαστήριον.*

Etiam minore opera ea potest absolvi huius quaestiunculae pars, quae ad areopagitarum senatum pertinet. Nam unum est certum testimonium, quo areopagi quoque potestatem multandi certis cancellis circumscriptam fuisse probatur. Leguntur enim in Apoll. or. c. Neaer. § 80 de Theogene paene ab areopago punito haec verba: *εὐθὺς ἡ βουλὴ ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ... ἐζήτει τὴν γυναῖκα ταύτην τοῦ Θεογένους ἥτις ἦν, καὶ ἐξήλεγχε, καὶ περὶ τῶν ἱερῶν πρόνοιαν ἐποιεῖτο, καὶ ἐζημίου τὸν Θεογένην ὅσα κυρία ἐστὶν, ἐν ἀπορρήτῳ δὲ καὶ διὰ κοσμιότητος. οὐ γὰρ αὐτοκράτορές εἰσιν, ὡς ἂν βούλωνται, Ἀθηναίων τινὰ κολάσαι.* Quo ex loco apertissimum est, *ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν* illo tempore ne areopagitis quidem licuisse, nisi finem sibi constitutum servarent. — Neque quidquam contra hanc opinionem iis efficitur, quae ab Isocr. in Areop. § 46 de areopago in hunc modum scripta sunt: *τοὺς ἀκοσμοῦντας ἀνῆγον εἰς τὴν βουλήν. ἡ δὲ τοὺς μὲν ἐνουθέτει, τοῖς δ' ἠπείλει, τοὺς δ' ὡς προσῆκεν ἐκόλαζεν.* Quamquam enim concedendum est, verba illa, quae sunt *ὡς προσῆκεν*, sic esse percipienda, ut areopagus nullo posito termino in aestimanda poena sola ad delicta, qualia essent, spectasse dicatur, hoc tamen nihil ad nos. Nam Isocr. de iis temporibus disputat, quibus ante Periclem areopagitae multo maiore erant auctoritate quam inde ab Euclide archonte; nos de posteriore tempore agimus.

Alia igitur huius rei testimonia, ut iam diximus, non reperiuntur, qua re ne hoc quidem diiudicari potest, quanta *ἐπιβολὴ* ab areopagitarum senatu *κατὰ τὸ τέλος* dicta sit maxima. Hoc autem ex comparatione nescio an concludamus recte, hunc areopagitarum coercitionis finem habuisse eandem vim ac quingentorum, scilicet eam, ut adversus multas *τέλος* non egredientes provocari non posset ad iudices. Itaque nihil relinquitur, nisi ut provocatio, si quae fuerit adversus areopagi multationem, ad eas pertinuerit poenas, quas areopagitae ultra finem illum expeterent. Verum hoc ab areopago non magis factum esse quam

a quingentis, et per analogiam iudico et ex Apollodori verbis, quae modo laudavi, colligo hisce: *οὐ γὰρ αὐτοκράτορές εἰσιν, ὡς ἂν βούλωνται, Ἀθηναίων τινὰ κολάσαι.* Neque enim est probabile, areopagitarum senatum permisisse iudicibus heliastis, ut ipsius sententiam corrigerent. Quod quidem facillime accidere potuit, cum ab areopago non ea vindicarentur delicta, quae ne fierent, multa iam certa terminata fuit — horum enim iurisdictio penes singulos fuit magistratus — sed ea, quorum de poena legibus nihil sanctum fuit. His igitur de causis etiam areopagitarum senatum *ἐπιβολὰς* imposuisse censeo nulla data provocatione.

Omnia autem, quae adhuc de terminis, quibus areopagi coercitio circumdata esset, explicavimus, ad eas solas referenda sunt poenas, quas ut *ἐπιβολὰς* areopagitae statuebant. Hae multae non sunt confundendae cum iis, quae ab areopago ut ab heliastarum iudicum iudicio in iis causis constituebantur, quae nisi ab areopagitis diiudicari non poterant, velut si quis *τραύματος ἐκ προνοίας*, ut unum afferam, accusatus erat. In talibus causis iusta accusatione instructa reus ab archonte rege, cuius iurisdictio semper intercedebat, in areopagitarum senatum ut in iuratorum iudicum iudicium adductus est; quamobrem in tali castigando delicto areopagitas non magis quam heliastas certis puniendi finibus coercitos fuisse patet.

Quae autem reliquae ab areopago irrogatae sunt multae, eae sic dicebantur, ut areopagitae, non adornata iusta actione, a nullo magistratu ad suffragium vocati, etiamsi omnino nemo erat accusator, suo consilio atque auctoritate sicut magistratus in noxios animadverterent. Huiusmodi enim eam quoque areopagi multationem fuisse censeo, qua vindicabat in eos, qui *ἀργίας* vel *ἀσωτίας* arguerentur; qua re accidit, ut in his causis magistratuum instar areopagitae *ἀνακαλεῖσθαι* dicantur noxios (cf. Athen. p. 167 e. 168 a) et *ἐπισκοπεῖν* iubeantur talia delicta (cf. Plut. Sol. c. 22. Athen. 245 c). Nam quod Meier. Att. Proc. p. 299 in utraque hac causa ab accusatore aliquo plenam ac veram actionem institutam et apud areopagitarum senatum, ut apud iudicium legitimum, de re actum esse contendit, hoc propterea fieri nequit, quod Meier. ipse in priore libro p. 44 locum

aliquem attulit, quo docemur, non regis, sed primi archontis fuisse inertiae iurisdictionem Lex. Seg. p. 310, 3: *ἔτι δὲ παρανοίας καὶ ἀργίας ἐπιδικασίαι καὶ ἐπικλήρων γυναικῶν. ἁπάσας ταύτας ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον.* Itaque talis causa, si ad iudicii sententiam reicienda fuit, non ab areopagitis, sed ab heliastis iudicibus diiudicata est. Ad iudices autem res omnino non est delata, si vel primi archontis vel areopagi coercitio ad definiendam *ἐπιβολὴν* satis magnam suffecit.

Sed haec quidem hactenus. Satis enim mihi videor ostendisse, et singulis magistratibus et utrique senatui *ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν* non licuisse, nisi legibus certo statuto termino, ultra quem non possent sine provocatione expetere multas. Iam ad postremum illud, quod propositum est, aggrediamur quidque de solutione harum multarum censendum sit exponamus.

V.

Multaticiae pecuniae in universum apud Athenienses plures in fiscos fluxisse inter omnes constat. Tres fisci praeter aerarium publicum commemorantur, quibus multam aliquis debere potuit: fiscus Minervae, fiscus ceterorum deorum, fiscus eponymorum cf. or. c. Theocr. § 14: *ὁ νόμος ὁμοίως κελεύει κατά τε τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ τὰς ἐνδείξεις τὸν βουλόμενον ποιεῖσθαι τῶν πολιτῶν, καὶ ἐάν τις ὀφείλῃ τῇ Ἀθηνᾷ ἢ τῶν ἄλλων θεῶν ἢ τῶν ἐπωνύμων τῳ.* — Qua autem ratione in has singulas arcas multae pervenerint, hoc maxime percipitur ex lege illa de oleis non eruendis in Demosth. Macart. or. § 71 tradita, qua is, qui oleas non religionis causa effoderit, *ὀφείλειν* iubetur *ἑκατὸν δραχμὰς τῷ δημοσίῳ τῆς ἐλάας ἑκάστης· τὸ δὲ ἐπιδέκατον τούτου τῆς θεοῦ εἶναι.* Qua de multa a iudicibus irroganda postea haec verba leguntur: *ὅτου δ' ἂν καταγνωσθῇ, ἐγγραφόντων οἱ ἄρχοντες, πρὸς οὓς ἂν ᾖ ἡ δίκη, τοῖς πράκτορσιν, ὃ τῷ δημοσίῳ γίγνεται· ὃ δὲ τῇ θεῷ γίγνεται, τοῖς ταμίαις τῶν τῆς θεοῦ.* Hoc loco cernitur, eas multas, quae in aerarium persolvendae essent, a proprio magistratu, a practoribus; eas, quae deberentur Minervae, ab ipsis deae quaestoribus esse exactas. Certiores autem facti sunt de multis iudicio aliquo dictis et practores et deae aerarii praefecti a magistratu eo, qui cum praeesset, iu-

dices multam imposuerant. Sic igitur res gesta est, ut iudicio facto reoque condemnato is magistratus, qui totam causam apud iudices instruxerat, noxii nomen et, quanta multatus esset pecunia, per literas (*ἐγγραφῇ*) deferret ad eos, qui ad exigendas singulas multaticias pecunias nominatim legibus constituti in iudicio ipsi non aderant. — Huc spectat illa *θεσμοθετῶν ἐγγραφή*, quae appellatur in or. c. Aristog. I § 28: *ἀπεσχοινισμένος πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις, γνώσεσι δικαστηρίων τριῶν, ἐγγραφῇ θεσμοθετῶν, ἑτέρᾳ πρακτόρων, τῇ τῆς βουλεύσεως, ἣν αὐτὸς διώκεις, γραφῇ* c. q. s. Tanguntur his verbis tres illae multae, quibus Aristog. accusatore quidem teste affectus fuit; quarum primam in *γραφῇ παρανόμων* a iudicibus aestimatam prorsus recte significantur thesmothetae, quorum iurisdictio in tali causa legitima fuit, mandasse literis, eo nimirum consilio, ut exigendam delegarent ad practores. Altera autem multa, quam mille drachm. *εἰσαγγελίας*, quae vocatur, actione deserta Aristog. commiserat, quod nullius archontis opera ab exactoribus modo inscripta esse designatur, ex hac re discimus, *εἰσαγγελίαν* illam non apud primum archontem, sed apud senatum institutam neque eo fuisse deductam, ut ad thesmothetas reiceretur, qui reum in iudicium adducerent. Hac re factum est, ut non esset archon, qui multam illam diceret et exactoribus traderet; quamobrem ex hoc loco nihil efficitur, talem multam in aliis causis non ab archonte ut *ἐπιβολὴν* esse irrogatam. — Apparet igitur ex lege illa in Macartateam inserta, quo modo eae multae, quae in aerarium publicum aut in Minervae fiscum solvendae erant, exactae sint. Quod autem de his multis constat, idem ad eas quoque pertinuisse patet, quae deberentur vel ceterorum deorum vel eponymorum arcae; quae item auctore magistratu puniente ab iis redigebantur, qui praefecti erant his singulis fiscis: a ceterorum deorum quaestoribus et a rege archonte, qui eponymorum arcam videtur administrasse. Atque ita accidit, ut qui debitores in quatuor horum fiscorum tabulas relati sunt, in Patroclidis plebiscito his verbis denotentur Andoc. de myst. § 77: *περὶ δὲ τῶν ἐπιγεγραμμένων εἰς τοὺς πράκτορας ἢ τοὺς ταμίας τῆς θεοῦ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν* (cf. Boeckh. Staatsh. I p. 219 b) *ἢ τὸν βασιλέα* c. q. s.

Haec fere cognosci possunt de multis persolvendis iis, quas iudices constituebant. Quaeritur igitur, quatenus haec etiam ad ἐπιβολὰς referenda sint. Et quod ad exactionem attinet, etiamsi certum testimonium afferri nequit, nemo facile dubitet, quin hae quoque multae, si debebantur aerario, a practoribus, si forte in dei fiscum pendendae essent, a fisci illius praefectis exactae sint. Qua in utraque causa hi exactores legitimi certiores nimirum de multatione facti sunt vel a magistratu, qui poenam statuerat, vel ab iis, quibus praesidentibus senatus ἐπιβολὴν definiverant. Hoc per se facile intellegitur.

Sed unum restat indagandum, quod ex ceterarum multarum comparatione diiudicari nequit. Exceptis enim multis iis, quas plebiscito, si quis officium sibi delatum desereret, propositas fuisse vidimus — quae quidem poenae praeterea, nisi quod ad magistratus attinet multantes, ἐπιβολαὶ appellari certe non possunt — prorsus nulla invenitur ἐπιβολή, quae distincte deo alicui deberi dicta sit. Exsistit igitur hoc loco quaestio, utrum casu et fortuito hoc acciderit, an per se ipsas universae ἐπιβολαὶ relatae sint in aerarium publicum, sicut ex contrario, ut ita dicam, eae multae, quae non lege, sed plebiscito aliquo magistratibus terminabantur, quantum equidem video, omnes in templi alicuius fiscum solutae sunt cf. C. I. Att. nr. 37 frg. f—m v. 18 sq. nr. 77 v. 18 sqq. Boeckh. Securk. nr. XIV b v. 1 sqq. C. I. Gr. nr. 123 v. 12 sqq.

De hac autem re iudicare non possumus, nisi in iis perlustrandis exemplis, ubi legimus, quam in arcam ἐπιβολὴ pervenerit, cognoverimus, ipsane peccatorum natura factum sit, ut τῷ δημοσίῳ hae multae deberentur, an eae quoque reperiantur ἐπιβολαὶ, quae ad explicandum cur in aerarium expensae sint, haec causa non sufficiat. Nam si forte apparuerit, apud practores multas non esse inscriptas, nisi quae, ut reipublicae rationibus consuleretur, propter violatam utilitatem publicam essent impositae, ex eo solo, quod alium in fiscum fluxisse ἐπιβολὴν distinctis verbis non traditur, colligendum certe non est, unamquamque ἐπιβολὴν per se ipsam in aerarium fuisse persolvendam.

Proinde inquiramus in singula, quae exstant, exempla. Ac

primum quidem ea *ἐπιβολή*, qua Apollodorus affectus est, quia rem aliquam non exhibuerat, apertissime *τῷ δημοσίῳ* inscripta esse narratur cf. Apoll. c. Nicostr. § 14: *ἐγγράφει τῷ δημοσίῳ ... ἐπιβολὴν ἑξακοσίας καὶ δέκα δραχμὰς*, et postea: *παρεσκευάζοντο ... ἐνδεικνύναι με ὡς ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ*, et § 15: *ἐκτίσας τῷ δημοσίῳ τὸ ὄφλημα*. Tamen nihil ex hoc exemplo efficitur, quia Apollodorum, cum a iudice rem illam exhibere iussus hoc iudicium neglexit, reipublicae contempsisse institutum, manifestum est. Quamobrem iure dixerit aliquis, hanc esse causam, cur *ἐπιβολὴ* illa in aerarium exsoluta sit. — Non minus constat, eam mille drachm. multam debitam esse *τῷ δημοσίῳ*, quae a magistratu irrogabatur, si quis more sollemni ad testimonium vocatus detrectaverat hoc magistratus imperium. Nam quod Meier. Att. Proc. p. 390 et Boeckh. Staatsh. I p. 500 certi quidquam de hac re sciri posse negant, eum Aesch. Tim. locum praetermisisse videntur, quo haec scripta sunt § 46: *ἐὰν δὲ προαιρῆται ἐκκλητευθῆναι μᾶλλον ἢ τἀληθῆ μαρτυρεῖν, ὑμεῖς τὸ ὅλον πρᾶγμα σύνιστε. εἰ γὰρ ὁ μὲν πράξας αἰσχυνεῖται καὶ προαιρήσεται χιλίας μᾶλλον δραχμὰς ἀποτῖσαι τῷ δημοσίῳ, ὥστε μὴ δεῖξαι τὸ πρόσωπον τὸ ἑαυτοῦ ὑμῖν* e. q. s., quibus verbis multa illa in aerarium referenda fuisse nominatim dicitur. Verum etiam hoc, non quia *ἐπιβολὴ* fuit, sed propterea factum esse potest, quod, qui debitum testimonium recusaverat, a civili officio discessisse et contra communem omnium utilitatem peccasse visus est. Ipsius igitur ex delicti natura causa repetitur, cur *τῷ δημοσίῳ* pendenda fuerit haec multa. — Eodemque iudicio de ea poena utimur, quae ipsa quoque mille drachm. lege fuit definita, si quis accusator in causa publica a lite iam adornata desisteret vel re iudicata ne quintam quidem suffragiorum partem acciperet. Quarum priorem multam in aerarium solutam esse Theocrinis exemplo probatur, qui quod *φάσιν*, quae vocatur, deposuit, *τῷ δημοσίῳ ὀφείλειν* significatur cf. or. c. Theocr. § 14 et 22 et argum. p. 1321. Quod autem de hac poena statuendum est, idem etiam ad alteram pertinere, ex huius or. § 6 cernitur; quare utramque hanc multam aerario debitam esse manifestum est. Sed ne hac quidem re quidquam proficitur ad hanc quaestionem diiudicandam, quoniam nemo

non videt, his quoque multis in eum esse animadversum, qui reipublicae cum detrimento delinqueret. Est enim apertissimum, nisi maximo reipublicae incommodo non posse fieri, ut iudicia a calumniatoribus occupentur.

Quae autem nunc commemoranda est ἐπιβολή, de ea paulo alio modo censemus. Nam quod de multandis iis, qui levioribus conviciis usi essent locis quibusdam sanctis, Plut. Sol. c. 21 haec tradidit: *ζῶντα δὲ κακῶς λέγειν ἐκώλυσε πρὸς ἱεροῖς καὶ δικαστηρίοις καὶ ἀρχείοις καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων· ἢ τρεῖς δραχμὰς τῷ ἰδιώτῃ, δύο δ' ἄλλας ἀποτίνειν εἰς τὸ δημόσιον ἔταξε*, prorsus ceterorum exemplorum ritu accidit, ut eae ἐπιβολαί, quae imponebantur, si quis obiurgaverat *πρὸς δικαστηρίοις καὶ ἀρχείοις* — omissa illa parte, quae *τῷ ἰδιώτῃ* persolvenda nunc nihil ad nos — expensae sint *εἰς τὸ δημόσιον*. Reipublicae enim rationes despiciunt et pro nihilo putant, qui ne in iudiciis quidem et consistoriis temperare possunt a maledictis. — Quod vero is quoque, qui *πρὸς ἱεροῖς καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων* ad verborum contumelias descesserat, inter aerarii debitores numeratus esse dicitur, huius rei nulla causa intellegitur, nisi sumimus, quaecunque multa ut vera ac plena ἐπιβολὴ expeteretur, eam sine ullo discrimine referendam fuisse in aerarium publicum, sive reipublicae institutum sive religionem quis violasset. Nam si ne eae quidem multae, quae propter delicta in deos commissa legibus constitutae erant, deorum in fiscos fluxerunt, necessario nobis efficiendum est, ἐπιβολὴν, quae ἱερὰ esset, irrogatam esse omnino nullam.

Quod cum ita sit, eo magis miramur, de imperatoribus, qui Polyaenum militem, proinde ac si neglexisset legem illam Plutarcheam Solonis, multa legitima affecerunt, in Lys. pr. mil. or. § 6 haec verba legi: *ἐπιβαλόντες δὲ τὸ ἀργύριον πράξασθαι μὲν οὐκ ἐπεχείρησαν, ἐξιούσης δὲ τῆς ἀρχῆς γράψαντες εἰς λεύκωμα τοῖς ταμίαις παρέδοσαν*. Qui enim memorantur in his verbis *ταμίαι*, alii esse non possunt, nisi *οἱ ταμίαι τῆς θεοῦ*, qui Minervae fiscum administrabant in arce atque tum demum, cum insequentis anni Panathenaica acta erant, munere se abdicabant; quare uno fere mense diutius in officio erant, quam imperatores, qui cum ceteris magistratibus anno extremo impe-

rium suum deponebant. Videtur igitur haec certe *ἐπιβολὴ* non aerario, sed deae fuisse debita; quod quidem manifesto pugnat et cum huius multae natura, qualem modo cognovimus, et cum lege illa Plutarchea, qua *εἰς τὸ δημόσιον* pendenda haec poena terminata est.

De hac discrepantia quomodo iudicandum sit, certum aliquid asseverare profecto vix quisquam audeat, nisi certis testimoniis comprobaretur, si non *ἐπιβολὰς* ipsas, attamen alias multas a practoribus easdemque a Minervae quaestoribus esse inscriptas. Velut hoc non minus cadit in Aristogitonis quam in Theocrinis patris exemplum. Aristog. quamquam *εἰς τὸ θεῖον* peccasse praedicatur (cf. or. c. Aristog. II § 27), quin *τῷ δημοσίῳ* debuerit multam utramque, in dubium vocari nullo modo potest (cf. or. c. Aristog. I § 30. 53. 70. 73. 94. II § 1); quare perspicuum est omnibus, eum a practoribus inter publicos debitores ascriptum esse. Tamen easdem has multas praeterea in arce quoque literis consignatas esse constat cf. I § 4: *ἥκετε μᾶλλον ἡμῶν τῶν κατηγόρων εἰδότες καὶ ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ τοῦτον καὶ ἐγγεγραμμένον ἐν ἀκροπόλει*, quam ad inscriptionem etiam haec verba spectant § 99: *πῶς δὲ ταῖς νουμηνίαις εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἀναβαίνοντες τἀγαθὰ τῇ πόλει διδόναι καὶ ἕκαστος ἑαυτῷ τοῖς θεοῖς εὔξεται, ὅταν ὄντος τούτου ἐκεῖ . . . τἀναντία τοῖς ὅρκοις καὶ τοῖς ἐκεῖ γράμμασιν ἐγνωκότες ἦτε;* Atque alio loco docemur, tabulas, in quas relatae erant hae multae, *παρὰ τῇ θεῷ* i. e. in Minervae templo fuisse depositas cf. § 28: *κεκλειμένης σου τῆς ἐξουσίας . . . τοσούτοις καὶ τηλικούτοις ὀφλήμασι, καὶ τούτων παρὰ τῇ θεῷ κειμένων* e. q. s. — Prorsus eodem modo res se habet, quod ad Theocrinis patrem attinet, qui serva Cephisodori iniuria in libertatem vindicata ex lege illa, quae *κελεύει τὸ ἥμισυ τοῦ τιμήματος ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ ὃς ἂν δόξῃ μὴ δικαίως εἰς τὴν ἐλευθερίαν ἀφελέσθαι*, drachm. quingentas debens aerario, cum adversariis pactus est, ne nomen suum traderetur practoribus neve inscriberetur in arce cf. or. c. Theocr. § 20: *οὐ γὰρ ἐὰν Κτησικλῆς ὁ μέτοικος συγχωρήσῃ τούτῳ . . . μὴ παραδοθῆναι τοῖς πράκτορσι τὸν προσοφλόντα κατὰ τὸν νόμον, διὰ τοῦτο δεῖ τὴν πόλιν ἀπεστερῆσθαι τῶν ἐκ τῶν νόμων ἐπικειμένων ζημιῶν*, et § 19: *οὐκ*

ἐκτετικότος αὐτῷ τοῦ πατρὸς . . . ἀλλὰ διοικησαμένου πρὸς Κτησικλέα τὸν λογογράφον, ὃς ἦν ἐπὶ τοῖς τῶν ἀντιδίκων πράγμασιν, ὥστε μήτ' ἐκτῖσαι μήτ' εἰς ἀκρόπολιν ἀνενεχθῆναι. Debuit igitur haec quoque multa et in practorum albo et in arce, nimirum in Minervae templo (*παρὰ τῇ θεῷ*), inscribi.

Sed haec res multo etiam latius patet. Nam quod Theocrinis accusator § 48 haec verba profert: *οἶμαι δ' αὐτοὺς ἐπιχειρήσειν λέγειν ὡς οὐδὲ ἔστιν ἔνδειξις τούτων, ὅσοι μὴ ἐν ἀκροπόλει ἐπιγεγραμμένοι εἰσὶν, οὐδ' ἐστὶ δίκαιον τούτους ὑπολαμβάνειν ὀφείλειν, ὧν οὐδεὶς παρέδωκε τοῖς πράκτορσι τὰ ὀνόματα*, facile est ad perspiciendum in utraque hac enuntiatione in universum eandem fere inesse sententiam atque unicum discrimen in eo versari, quod in enuntiato posteriore prior quasi debendi status designetur. Itaque ex hoc loco colligendum est, quicunque ad practores deferebantur debitores, eos inscribendos fuisse etiam in arce. — Quocum ea plane consentiunt, quae leguntur apud Harpocr. et Suid. in *ψευδεγγραφή*: *ὄνομα δίκης ἐστὶν, ἣν εἰσίασιν οἱ γεγραμμένοι ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ ὡς καταψευσαμένου αὐτῶν τοῦ ἐγγράψαντος ἐν τῇ σανίδι τῇ παρὰ τῇ θεῷ κειμένῃ, ὡς ἀδίκως ἐγγραφέντες ὀφείλειν τῷ δημοσίῳ*, quibus ex verbis ipsis quoque cognoscitur, *τοὺς τῷ δημοσίῳ ὀφείλοντας* omnes in album quoddam esse relatos, quod depositum esset in templo Minervae. — Atque etiam tertium invenitur huius rei testimonium ipsa in or. c. Aristog. Cuius or. § 70, ubi *αἱ συνθῆκαι, καθ' ἃς ἐδανείσατο* homo aliquis privatus, cum legibus et *ὅροι* ii, qui in praediis pignori obligatis statuebantur, cum debitorum tabulis in arce positis conferuntur, haec verba scripta sunt: *εἰσὶ τοίνυν ὧν Ἀριστογείτων ὀφείλει τῇ πόλει συνθῆκαι μὲν οἱ νόμοι, καθ' οὓς ἐγγράφονται πάντες οἱ ὀφλισκάνοντες, ὅρος δ' ἡ σανὶς ἡ παρὰ τῇ θεῷ κειμένη.* Oportet enim, si apte hae res inter se comparantur, quae hoc loco significatur inscriptio, eam *ἐν τῇ σανίδι τῇ παρὰ τῇ θεῷ κειμένῃ* factam esse. Hoc igitur sine ulla dubitatione constat, eas quoque multas, quae in aerarium exsolvendae essent, inscriptas esse universas in certis tabellis in arce.

Nunc autem quaeritur, a quibusnam magistratibus et qua

de causa hoc factum sit. Et sunt, qui censeant, velut Meier. Att. Proc. p. 338, practoribus ipsis unumquemque, qui τῷ δημοσίῳ deberet, in publicorum debitorum album in arce collocatum referendum fuisse. Verum hoc mihi non persuadetur. Nam cum practorum, sicut ceterorum magistratuum, consistorium non in arce, sed in urbe ipsa prope forum fuisse existimandum sit — an credi potest, quotiescunque multa aliqua literis mandanda esset, in arcem ascendisse practores — cum in ipso hoc consistorio ii, qui multis erant affecti, a practoribus in tabulis quibusdam sine dubio inscripti sint, nemo profecto cogitatione complectitur, quid praeterea etiam in arce negotii fuerit practoribus, quorsus altera illa practorum inscriptio pertinuerit. Promulgatas enim esse hoc modo multas, hoc propterea nullam habet probabilitatem, quia in cotidianae vitae consuetudine Athenienses raro tantum perveniebant in arcem. Promulgatio non in arce, sed in ipsa urbe fieri debuit, sicut revera utroque eo loco, quo multas posteriore certe tempore in publico propositas esse docemur, hoc in Ceramico factum esse traditur cf. Poll. VIII, 112: τὰς δὲ ἀκοσμούσας ἐζημίουν (sc. οἱ γυναικονόμοι), καὶ τὰς ζημίας αὐτῶν γράφοντες ἐξετίθεσαν ἐπὶ τῆς πλατάνου τῆς ἐν Κεραμεικῷ, et Hesych. in πλάτανος· δένδρον, πρὸς ὃ οἱ γυναικονόμοι τὰς ζημίας ἐν λευκώματι ἐξετίθεσαν. Haec quidem verba sane dubito num possint intellegi, nisi illud ἐξετίθεσαν scriptum putamus eadem sententia, qua de rebus apud eponymorum statuas promulgandis dicitur: ἐκτίθεσθαι πρὸ (πρόσθε, ἔμπροσθεν) τῶν ἐπωνύμων cf. Demosth. c. Mid. § 103. adv. Lept. § 94. Isae. Dicaeog. § 38. Practorum igitur officium fuisse nequit, in arce quoque multas publicas in album quoddam referre.

Itaque fieri non potest, quin de iis magistratibus cogitemus, quos reapse in arce totum munus administrasse scimus: de Minervae quaestoribus. Hi negotia sua ipso in Minervae fano expediebant, quare nullo labore debitores publicos in tabellis, quae depositae erant in templo, inscribere poterant. Atque revera rem se sic habuisse Suidae testimonio probatur, qui in ψευδέγγραφος δίκη haec narrat: τῶν δημοσίᾳ ὀφειλόντων τὰ ὀνόματα ἀπογράφονται οἱ ταμίαι, καὶ ὅσα ἕκαστος

ὀφείλει. Claris verbis hoc loco exponitur, quisquis debuerit aerario publico, eum a deae fisci praefectis — nam hi sunt sine dubio illi ταμίαι, sicut in Lys. or. pr. milite § 6 — in debitorum numerum esse ascriptum. Dubitari igitur non potest, quin unaquaeque multa publica, praeterquam quod a practoribus in ipsorum consistorio literis consignabatur, etiam in arce a deae thesauri custodibus in altero albo inscripta sit.

Si autem nemo in publicorum debitorum tabulas referri potuit, non intercedente deae quaestorum opera, nisi inutilem et supervacaneam fuisse hanc inscriptionem volumus, necessario nobis colligendum est, coniunctas fuisse illas multas certa quadam ratione etiam cum fisco, cui praeerant hi magistratus. Quae quidem ratio qualis fuerit, non percipitur, nisi hae quoque multae ex parte saltem in Minervae arcam fluxerunt. Hoc non tam mirabilem in modum accidit, quam prima specie videtur, quoniam etiam aliae pecuniae, quae solvendae erant in aerarium publicum, ex parte in deae fiscum relatae sunt. Velut omnibus notum est, praedae bellicae in aerarium pendendae partem decimam traditam esse Minervae (cf. [Lys.] pr. Polystr. § 24. Demosth. c. Timocr. § 120. 129 sq.), quod plane eodem modo ad bona publicata pertinet (cf. Andoc. de myst. § 96. Xen. hell. I, 7, 10. 20. C. J. Att. nr. 31 v. 24 sq. nr. 37 frg. f — m v. 22); quod quidem exemplum etiam propius accedit ad huius rei similitudinem. — His igitur de causis iudico, sicut eius multae, quae lege illa in Macart. inclusa de oleis non effodiendis τῷ δημοσίῳ constituta est, decuma praestanda fuit Minervae, ita omnium multarum, quaecunque deberi possent aerario publico, certam partem, fortasse eandem decimam, in deae arcam referendam fuisse. — Cui opinioni minime repugnat, quod tales multae τῷ δημοσίῳ tantum persolvendae esse leguntur. Nam eo ipso, quod huius generis unicum reperitur, exemplo confirmatur, potuisse sane fieri, ut eadem multa, cuius decuma perveniebat ad deam, simpliciter τῷ δημοσίῳ deberi diceretur cf. Demosth. c. Macart. § 71: . . . ὀφείλειν ἑκατὸν δραχμὰς τῷ δημοσίῳ τῆς ἐλάας ἑκάστης· τὸ δὲ ἐπιδέκατον τούτου τῆς θεοῦ εἶναι. Quod eo magis excusationem habet, quia verbis illis, quae sunt οἱ τῷ δημοσίῳ ὀφεί-

λοντες, significatione quasi latiore omnes debitores comprehenduntur, et ii, qui apud aerarium, et ii, qui apud templi fiscum inscripti sunt: Andoc. de myst. § 73.

Itaque de exigendis multis publicis hoc statuendum est: Quisquis huiusmodi multa affectus erat, eius nomen quantaque multatus esset pecunia a magistratu eo, cuius iurisdictio intercedebat, et ad practores et ad Minervae quaestores literis delatum est. Utrique hi magistratus deinde totam multam in albo suo annotaverunt atque ascripserunt, quantum illius pecuniae in suum cuique fiscum exigendum esset. Multa autem expensa omnia, quae erant in tabulis, deleta sunt. — Si hoc modo res gesta est, unum superest, quod miremur: unde eveniat, ut inscriptioni ei, quae in arce facta est, vis multo maior tribui videatur, quam practorum. Sed huius quoque rei facile perspicitur causa. Nam cum decuma posterius scilicet quam reliqua multae pars exsolveretur neque quisquam prius inter debitores publicos numerari desineret, quam decumam quoque praestaret, accidere sane oportuit, ut eae debitorum tabulae, quae depositae erant in arce ad diiudicandum, quis in publicorum debitorum numero versaretur, multo maioris essent momenti quam practorum album, ex quo exstingui aliquis potuit, etiamsi non retulerat decumam. Hac re factum est, ut debere aliquis desineret inde ab eo demum temporis momento, quo de deae tabula nomen eius sublatum erat cf. or. c. Aristog. I § 70. Sic igitur censendum est de multis persolvendis omnibus, quas in aerarium fluxisse constat; quo in numero cum ἐπιβολαὶ quoque fuerint, nihil est cur dubitemus, quin omnia, quae de exactione usque adhuc exposuimus, etiam ad has multas spectent.

Quod si verum est, illud quoque multationis exemplum, ex quo in hac quaestione profecti sumus, nihil iam habet difficultatis. Nam etsi multa Polyaeno militi ex lege illa Plutarchea imposita per se non in Minervae, sed in reipublicae aerarium (εἰς τὸ δημόσιον) pendenda erat, tamen etiam huius multae pars quidem debebatur Minervae; quare prorsus recte atque ordine deae aerarii praefecti certiores de hac multatione facti sunt, idcirco scilicet, ut partem illam exigerent. Practoribus

autem imperatores eadem licentia, qua in tota hac causa usi sunt, propterea omnino non indicaverunt militem, quia ipsi non ignorabant, quantopere non legibus agerent. Quam neglegentiam quin iis crimini verteret, Polyaenus non praetermisit, qui in narratione § 6 haec protulit: *ἐπιβαλόντες δὲ τὸ ἀργύριον πράξασθαι μὲν οὐκ ἐπεχείρησαν.* Negantur hoc loco imperatores curasse, ut multa illa exigeretur; quod quidem facere omnino non poterant, nisi ita, ut Polyaeni nomen legitimis exactoribus eodem modo per literas traderent, quo revera *γράψαντες εἰς λεύκωμα τοῖς ταμίαις παραδοῦναι* traduntur. Facile igitur ex his verbis apparet, multam illam Polyaeno statutam sane deferendam fuisse ad practores atque mera imperatorum libidine factum esse, ut officium illud desererent. Itaque ne ex hoc quidem exemplo quidquam contra illud efficitur, quod posuimus, unamquamque veram ac iustam *ἐπιβολὴν* per se ipsam in aerarium fuisse solvendam.

Haec habeo, quae de exigendis pendendisque his multis proferam. Ceteroquin quaecunque de reliquis multis dicenda sunt, ea omnia ad *ἐπιβολὰς* quoque pertinent. Velut singillatim demonstrari potest, etiam *ἐπιβολὰς* usque ad nonam *πρυτανείαν* persolvendas fuisse; quod facere qui supersedebat, e legibus alterum tantum debens in albo inscriptus est. Sin autem ne duplicatam quidem multam quis statim in aerarium referret, eius bona publicari lex iussit cf. Andoc. de myst. § 73: *ὁπόσοι . . . ἐπιβολὰς ὤφλον . . . τούτοις ἡ μὲν ἔκτισις ἦν ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτανείας, εἰ δὲ μή, διπλάσιον ὀφείλειν καὶ τὰ κτήματα αὐτῶν πεπρᾶσθαι.* — Praeterea constat, eum quoque, cui *ἐπιβολὴ* irrogaretur, inde a multatione usque ad solutionem versatum esse in capitis deminutione (cf. eod. loc.: *οἱ δὲ ἄτιμοι τίνες ἦσαν; . . . οἱ μὲν ἀργύριον ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ, ὁπόσοι . . . ἐπιβολὰς ὤφλον* e. q. s.), quam qui contemneret, in eum *ἔνδειξις*, quae vocatur, instrueretur cf. Apoll. c. Nicostr. § 14: *παρεσκευάζοντο . . . ἐνδεικνύναι με ὡς ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ* (cum Sauppio). Quod ad haec omnia attinet, nihil interest inter *ἐπιβολὰς* atque ceteras multas.

Sed priusquam huius capitis finem faciamus, pauca exponenda sunt de loco quodam Poll. VIII, 97, quo de *ταμίαις τῆς θεοῦ* haec scripta sunt: *ἐκαλοῦντο δ' οὗτοι* (sc. *οἱ ταμίαι τῆς θεοῦ*) *κωλακρέται. εἶχον δ' ἐξουσίαν καὶ ζημίαν ἀφελεῖν, εἰ ἀδίκως ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ἐπιβληθείη.* Quibus verbis quod de *κωλακρέταις* dictum est, hoc quin erraverit Poll., non dubium est. Sed etiam quod deinde de condonandis *ἐπιβολαῖς* legitur, ne hoc quidem recte tradidisse videtur Poll.

Primum enim permirum accidit, ut multae a magistratu aliquo in administrando munere irrogatae ab iis remittantur aerarii praefectis, quorum auctoritas nullo alio modo intercedit nisi eo, quod multas exigunt. Deinde etiamsi quaestores Minervae reapse hoc iure multas condonandi usi sint, haec potestas certe ad eam solam partem spectare potuerit, quam uniuseuiusque multae publicae Minervae debitam esse vidimus. Accedit quod ad deae fisci praefectos haec quoque verba referenda sunt, quae in Lex. Seg. p. 190, 15 s. v. *κωλακρέται* inveniuntur: *οἱ κρατοῦντες δικαστικὴν ζημίαν.* Iam Boeckh. I p. 240 docuit, hoc loco eodem modo, quo apud Poll., *κωλακρέτας* cum deae quaestoribus, quibus ius remissionis tribueretur, confundi. Tamen nemini dubium esse potest, quin multae a iudicibus definitae (*δικαστικαὶ ζημίαι*) a magistratu aliquo condonari nullo modo potuerint. Patet igitur, quam incerta fuerint, quae de remittendis multis pervulgabantur.

His omnibus de causis cum Hefft. Athen. Gerichtsverf. p. 419 consentio, qui censet, quaestoribus Minervae hanc potestatem propterea tribuisse Pollucem, quia unicum multae condonatae, quod in Lys. or. pr. mil. reperitur, exemplum non recte comprehenderet animo. Nam etsi concedendum est, *ἐπιβολὴν* illam in Polyaenum statutam a deae aerarii praefectis remissam esse, tamen ipsis verbis hi magistratus narrantur, hoc non ex certis quibusdam legibus, sed suo periculo fecisse cf. § 7: *τὸν παρ' ὑμῶν κίνδυνον ὑποστάντες ἄκυρον τὴν ζημίαν ἔκριναν.* Dilucide hoc loco significatur, fieri potuisse, ut propter remissionem illam in ius vocarentur quaestores. Quocum congruit, quod Polyaenus ipse — cuius permultum profecto intererat, iure usos fuisse hac potestate quaestores — § 12 in

medio relinquit, num revera οἱ ταμίαι multam condonare κύριοι fuerint. — Haec autem multa a quaestoribus illis remissa est, quia iniuria sine dubio imposita, ad practores omnino non erat relata. Hac re accidit, ut deae fisci praefecti, qui Polyaeni nomen solo in Minervae templo inscriptum expungerent, non partem, sed universam multam condonasse dicantur. Itaque ex hoc uno exemplo minime colligendum est, in universum multas potuisse remitti a Minervae quaestoribus.

Iam ad finem quaestionis pervenimus. Qua quae demonstrasse nobis videmur, ut brevi denuo complectamur, haec de multa, quae ἐπιβολὴ appellatur, videntur statuenda esse: Dicta est ab utroque senatu omnibusque magistratibus iis, qui suo solo iudicio usi sunt in conficiendis negotiis. Dicta est ab utrisque in suis tantum administrandis muneribus. Dicta est solis iis, qui minore erant auctoritate quam is, qui multabat. Dicta est intra certos fines, quibus constitutum fuit, quantas maximas multas et senatus et magistratus irrogare possent sine provocatione. Soluta est denique in aerarium publicum eodem fere modo, quo multae reliquae.

V i t a.

Ernestus Siegfried natus sum Berolini a. d. VI Cal. Quint. a. h. s. LIII patre Carolo, quem ante hos duodecim annos mihi ereptum esse doleo, matre Mathilda e gente Helmrichiana, qua etiam nunc superstite gaudeo. Fide institutus sum evangelica. Sex annos natus in Dorotheae scholam quae dicitur realem urbanam me contuli, in qua prima literarum elementa edoctus sum latinaeque linguae rudimenta accepi. A. h. s. LXIV gymnasium adii regium Ioachimicum, quod per octo annos frequentavi; cuius cum magistros omnes tum directorem, qui tunc fuit, Gust. Kiesslingium et F. C. W. Muellerum, nunc Iohannei Vratislaviensis directorem, semper mihi grata piaque memoria colendos profiteor. Deinde a. h. s. LXXII maturitatis testimonio instructus inter cives universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis ascriptus sum atque per octies sex menses scholas adii horum virorum illustrissimorum: Bonitzii, Curtii, Dillmanni, Droyseni, Ebelii, Gepperti, Harmsii, Hauptii, Huebneri, Kieperti, Kirchhoffii, Lazari, Mommseni, Muellenhoffii, Mullachii, Nitzschii, Poggendorffii, de Treitschkii, Vahleni, Zelleri. In seminarium philologicum regium a Kirchhoffio receptus, per quater sex menses Huebneri, Kirchhoffii, Vahleni et publica et privata disciplina usus sum. Praeterea Curtius ad archaeologicas, Huebnerus et Kirchhoffius ad Graecas, Muellenhoffius ad Theodiscas, Nitzschius ad historicas, Vahlenus ad Latinas exercitationes benigne mihi permiserunt aditum. Quibus viris omnibus et quicunque studia mea consilio adiuverunt, maxime autem Ad. Kirchhoffio et Io. Vahleno seminarii philologici rectoribus debitas hic ago gratias.

Sententiae controversae.

I. Xenoph. hell. I, 7, 2 scribendum est: *Ἀρχέδημος τοῦ δήμου τότε προεστηκὼς ἐν Ἀθήναις*. cf. Pausan. III, 8, 4.

II. [Demosth.] adv. Nicostr. § 14 et 15: Apparet ex his §§, Arethusium in exactorum numero fuisse illo tempore, quo Apollodorus 610 drachmis multatus est.

III. Demosth. c. Mid. § 89 et 90: *Κακηγορίας* illa actio est mille drachmarum, quia duo homines: Demosthenes eiusque mater, non soror, conviciis affecti sunt.

IV. Lysiae pr. mil. quae fertur oratio summarium est genuinae Lysiacae, quae primo vel altero Attici cuiusdam anni mense habita est.

V. Plut. quomod. adol. poet. aud. deb. p. 36 b scribendum puto: *ὅτι ταὐτόν ἐστι τὸ παρ' Ἐπικούρου θρυλούμενον* e. q. s.

VI. Aeschyl. Choeph. vss. 240—242 formandi videntur in hunc modum:

πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ', ἐμοὶ σέβας φέρων
μόνος· Κράτος τε καὶ Δίκη σὺν τῷ τρίτῳ
πάντων μεγίστῳ Ζηνὶ συγγένοιό μοι.

Ienae, typis Ed. Frommanni.